STRENA CATHOLICA, SEV EXPLICATIO breuis, & dilucida noui *Fidelitatis Iuramenti.*

Ab *E. I.* Sacræ Theologiæ *studioso composita.*

Ad conscientias Catholicorum Anglorum pleniùs circa idem *Iuramentum instruendas, & serenandas, quàm fuerint instructæ ab* I. E. *Sacræ Theologiæ studioso, qui* Tractatum *Anglicum de* Ecclesiastica & Regia *potestate compilauit.*

Deum timete, Regem honorificate. 1. PETR. 2.

✠

IHS

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, *& quæ sunt* Dei, Deo. MATTH. 22.

AVGVSTÆ
Apud *BAPTISTAM FABRVM,*
Permissu Superiorum, 1620.

STRENA CATHOLICA,

SEV

EXPLICATIO

breuis, & dilucida

noui *Fidelitatis*

Iuramenti.

Ab E. I. Sacræ Theologiæ

studioso composita.

Ad conscientias Catholicorum Anglorum plenius [illegible] Iuramentum [illegible] quam [illegible] Sacræ Theologiæ [illegible] Anglicum [illegible] Regia potestate complanit.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Deum timete, Regem honorificate. 1. PETR. 2.

✠

IHS

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. MATTH. 22.

AVGVSTÆ

Apud BAPTISTAM FABRVM,

Peruisso Superiorum, 1630.

SERENISSIMO, POTENTISSIMO, AC SAPIENTISSIMO *Principi* IACOBO *Dei gratia*, magnæ Britanniæ, Franciæ, & *Hiberniæ Regi &c.*

EDidi paucis ab hinc mensibus (REX SERENISSIME) breuem, sed dilucidam noui *Fidelitatis* Iuramenti *Explicationem*, Anglicano idiomate compositam, eo potissimum fine, vt Anglos Catholicos in constanti sua fi-

delitate *Vestræ Maiestati*, vtpote supremo eorum *Principi* ac *Domino*, iure diuino debita confirmarem; atque etiam, vt contra pestiferam quandam eiusdem Iuramenti *Explicationem* ab *I. E.* Sacræ Theologiæ studioso compilatam, Antidotum aliquod salutare conficerem. Cuius quidem *Explicationis*) meæ fundamenta potissima, non à memetipso nunc primùm adiuuenta, sed, ad instar cuiusdam *Florum Fasciculi*, ex alterius horto collecta, *Rogeri* nempe *Widdringtoni* libris quasi ad verbum excerpsi: cuius tamen radices & semina ipse

in *Maiestatis Vestræ Apologia*, & *Præfatione Monitoria* longè antè reperit, indeque ereptas, seu potiùs mutuò acceptas, copiosa irrigatione, cultura, & explicatione in Hortum amplissimum crescere & dilatari fecit.

Eam quidam *Iuramenti* hostes vel inscitè, vel malignè vellicant, tanquam neque *Vestræ Maiestatis* menti, neque fidei Catholicæ principijs consentaneam; & non solùm in me illius *Authorem*, tanquam *Sedis Apostolicæ*, & *Ecclesiæ Romanæ* (quam tamen veluti *Matrem* veneror) hostem capitalem debacchari, meque,

quantum possunt, persequi (ignoscat illis *Deus*) scrupulum non faciunt; verùm eos etiam *Laicos* Catholicos, qui *Iuramentum* aut præstant, aut approbant, pro *Pseudo-Catholicis* reputare, atque à *Sacramentorum* perceptione tanquam indignos (qui tamen si in *Francia* essent, indigni non censerentur) excludere, & si *Sacerdotes* sint, tanquam à fide *Apostatas*, & officio Sacerdotali privatos, per ora hominum traducere, & media ad victum necessaria, quantum in ipsis est, illis subtrahere non perhorrescunt: Existimantes forsitan, se vi

exter-

externa, potentia humana, astutisque consilijs pernicio-
osam suam doctrinam euec-
turos, ac contrariam de-
pressuros, quam sanè vi ar-
gumentorum, rationibus
Theologicis, & vel diuinis,
vel venerandis veterum San-
ctorum *Ecclesiæ primitiuæ*
Patrum testimonijs nun-
quam valent. *Magna* enim 3. Esdræ. 4.
est veritas, & prævalet, im-
pugnari quidem ad tem-
pus, sed expugnari nun-
quam potest.

Cùm igitur pro veritate
tuenda, & constanti nostra
fidelitate, quam *Vestra Ma-
iestas* iure optimo à nobis
postulat, agnoscenda, tam

graues ærumnas à fratribus nostris Catholicis immeritò sustineamus, cumque etiam sæpiùs de iniusta hac nostra oppressione quidam ex nostris apud *Sedem Apostolicam* scriptis publicis suppliciter conquestus fuerit, nec tamen inde beneficium aliquod, aut grauaminum nostrorum leuamen, præ nimia, qua *Aduersarij* nostri in *Curia Romana* dominantur, potentia, adhuc receperimus, non aliud remedium nobis nunc superesse videmus, quàm vt in his angustijs, quas *Vestrâ*, & veritatis tuendæ gratiâ, & Patriæ etiam nobis charissimæ à

futu-

faturis nitrati pulueris, & aliis quibuscunque sub Religionis Catholicæ, restaurandæ prætextu proditionibus, quantum in nobis est conseruandæ causa, patimur, *Vestræ Maiestatis* patrocinium quàm supplicitèr imploremus; plurimùm confisi, *Eam* pro admirabili *Vestra Clementia*, & ab ipsis incunabilis insita beneficentia, quâ omnibus, præsertim iniustè oppressis, benefacere & opitulari solet, nobis, pro Iure vestro, & suprema potestate Regia defendenda, tam grauia incommoda sustinentibus minimè defuturam, sed quantum

tum cauſæ noſtræ æquitas & iuſtitia poſtulat (non minùs, quàm Prædeceſſoris veſtri *Reginæ Elizabethæ* fauor, & gratia ſingularis, olim *Sacerdotibus Appellantibus*, in propria ipſorum, & non ipſius cauſa, benigniſſimè adfuerit) nobis in hac cauſa noſtra, noſtra dicam tantùm, an etiam veſtra? omne illud auxilium, quod *prudentia Veſtra* nobis expedire iudicauerit, nullatenus denegaturum.

Neque enim nos quicquam, quod vel à iuſtitia aut charitate Chriſtiana alienum, vel *Veſtræ Maieſtatis* Celſitudine indignum

eſt

est (vti arbitramur) à Vobis petimus. *Regina Elizabetha*, quantumuis à *Sacerdotibus Appellantibus* Religione dispar, & antequam etiam publicam illam, aut aliam quamcunq; suæ erga *Eam* fidelitatis *Protestationem* fecissent, pro eximia tamen sua Clementia, *Regem Christianissimum* exorare dignata est, vt eorum oppressionibus, si quas iniustè passi essent, quantùm poterat, subueniret, atque vt cum *Romano Pontifice*, ad quem appellârant, ita rem ageret, vt fauor aut potentia *Iesuitarum*, in *Curia Romana* tunc prædominantium, nullum

Sa-

Sacerdotum innocentiæ; aut iustæ ipsorum causæ præiudicium afferret, quod sanè *Rex Christianissimus*, iuxta *Reginæ* intercessionem, & *Sacerdotum* magna ex parte desiderium, non sine aliqua difficultate, sed cum maximo *Iesuitarum*, qui illos calumniati sunt, dedecore, tandem assequutus est. Nec huic omnino dissimilis est hæc mea ad *Vestram Maiestatem* humillima *Supplicatio*.

Cùm enim nouum hoc *Fidelitatis* Iuramentum publica *Ordinum* lege iam stabilitum sit, neque illud legitima authoritate nobis ministra-

nistratum recusare possimus, nisi, & *Vestræ Maiestatis* indignationem in nos meritò concitare, & bonorum omnium temporalium iacturam facere, &, quod maximum est, diuinæ ordinationi, legitimæque potestati resistendo, æternæ damnationis periculum incurrere velimus: E contrario autem si illud susceperimus, tanquam *Pseudo-Catholici*, & in *Ecclesiam Romanam*, atque *Sedem Apostolicam* rebelles, à *Iuramenti* hostibus traducamur, & iniquis eorum calumniationibus in maximas angustias redigamur; quid re-

ſtat, niſi vt imploretur *eadem Maieſtas*, vt, pro ſingulari *ſua Clementia*, cauſam noſtram apud *Principes Chriſtianos*, cum quibus amicitiæ vinculo colligata eſt, agere dignetur, quò hæc mea Iuramenti *Explicatio* (quam nunc recognitam, auctam, & *Latinè* redditam *Veſtræ Maieſtati*, in pignus conſtantis meæ, & debitæ fidelitatis, dedicare auſus ſum, & in qua etiam omnes Catholici *Veſtræ Maieſtatis* ſubditi fideliſſimi, qui *Iuramento* fauent, libenter acquieſcunt) in celebrioribus *Dominiorum* ſuorum *Academijs*, non perfunctoriè

riè tantùm, ſed accuratè & ad amuſsim à viris doctis examinetur: Atque ſi nihil ſanæ doctrinæ repugnans in ea repererint, idem palam & publicè declarare velint; Vt ita, & *obſtruantur ora loquentium iniqua*, & Honor *Veſtræ Maieſtatis* Iuramentum ſancientis, & publicè defendentis apud *Principes* omnes Chriſtianos ſaluus & illæſus, cum non leui Aduerſariorum ignominia, conſeruetur, & finis ſit tandem viros Catholicos pios, & eruditos, atque de *Eccleſia Romana* alioquin benemeritos ea de cauſa calumniandi & per-

ſe-

sequendi: Sin autem quicquam prorsus in ea deprehenderint, quod bonis moribus, aut *Catholicæ fidei*, iuxta omnium verè Catholicorum sententiam, aduersetur, (nam quid Card. *Bellarminus*, exempli gratia, aut alius quispiam similis, cuius libri ea de causa à *Senatu Parisiensi* condemnati sunt, *Catholicam* esse *doctrinam* affirmauerit, si alij contrà pugnent doctiCatholici, nihil moror) illud etiam publica aliqua declaratione, non verbis cuiusuis generalibus, sed nominatim & expressè manifestum faciant, vnita ego quæ mo-

lius

liùs explicanda sunt, explicare, quæ corrigenda, corrigere, & quæ retractanda, retractare quamprimùm possim.

Neque enim ego tam pertinax sum, atque æternæ meæ salutis negligens, vt quicquam prorsus, quod fidei, & doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ (quam *veritatis columnam & firmamentum esse* credo) aduersatur, sciens & volens propugnare velim. Neque etiam *Aduersarij* adeo tenaces suarum opinionum proculdubio forent, si seriò secum cogitarent, quàm parum solidis nixi fundamentis, 2. Tim. 3.

audeant tam intrepidè incertas ſuas, ne dicam falſas, opiniones, pro veris & certiſſimis *Eccleſiæ Catholicæ* dogmatibus, cæteris omnibus eruditis Catholicis, non idem ſecum ſentientibus, per vim obtrudere; & pro doctrina non ſolùm non neceſſaria, ſed quoad praxim falſa & ſeditioſa (quæque vt talis, per plura *Senatus Pariſienſis* Decreta, ſiue *Arreſta*, palam in *Francia* declarata eſt) per fas & nefas propugnanda, audeant; hîc in *Anglia*, ſchiſmata, & diſcordias, non ſolùm inter *Catholicos*, ſed inter ipſum etiam *Regnum*,

&

& *Sacerdotium* concitare; fratres ſuos, eiuſdemque *fidei* Catholicæ (niſi aliam velint eſſe *fidem* Catholicam in *Anglia*, quàm ſit in *Francia*) *domeſticos*, *ad quos maximè bonum operari deberent*, infinitis malis afficere; *Eccleſiæ Catholicæ* vnitatem diſrumpere, *Principem* ſuum, alioquin clementiſſimum, ad indignationem prouocare, &, quantum in ipſis eſt, vel inuitum compellere, vt Decreta *Parliamenti Pariſienſis* (quæ certè ad inſtar *Exemplaris* ante oculos habet) contra doctrinam hanc peſtiferam, quæ *Principum* Galat. 6.

Coronis & Capitibus iniuriam, & periculum affert; in *Francia* ſæpiùs ſancita, hîc etiam in *Anglia*, cum maximo eorum periculo, firmanda, exequutioniſque mandanda curet.

Sed quoniam modum me præſcribere, aut etiam ſcrutari, quo *Maieſtas veſtra Sapientiſſima* hiſce incommodis occurrere, noſtriſque miſerijs ſuccurrere meliùs poſſit, non leuis eſſet arrogantiæ, quandoquidem, vt rectè ait *Sapiens*,

Prouerb. 25. *Qui ſcrutator eſt Maieſtatis, opprimetur à gloria, Deum*

Prouerb. 21. illum, *in* cuius *manu cor Regis eſt, & quocunque voluerit,*

rit, *inclinabit illud*, assiduè precari non desinam, vt *Vestram Maiestatem* gratia sua cœlesti illustrare dignetur, vt omnibus hisce malis remedium adhibere, eo modo, quo gloriæ suæ magis expedire visum fuerit, opportunè velit: Atque, vt illis *Catholicis Romanis*, qui *Vestram Maiestatem* de *constanti* sua, & *non-conditionata fidelitate* securam reddiderint, talia benignitatis *Vestræ*, & fauoris erga eos indicia ostendere dignetur (neque tamen alijs inuideo, sed prospera omnia illis precor) vt quantumuis ipsi, eo quòd aut *Iuramentum*

ſuſceperint, aut alia fidelitatis ſuæ teſtimonia dederint, neque exorbitantibus *Romani Pontificis* in *Regum* ſceptra prætenſionibus fauere voluerint, à *Sede Apoſtolica*, & *Curia Romana*, atque etiam à confratribus ſuis Catholicis Anglis paulò duriùs tractati, & quaſi penitus derelicti, planèque abiecti eſſe videantur; *Eorum* tamen *Aduerſarij*, orbiſque vniuerſus clarè perſpiciat, *Eos* non etiam à *Veſtra Maieſtate* (vti quidam *Iuramenti* hoſtes illis exprobrare non verentur) omnino neglectos eſſe: ne alioquin doctrina

hæc

hæc perniciosa, quæ tam grauem iniuriam & periculum affert non *Vestræ* tantùm *Maiestati*, sed alijs etiam *Principibus Secularibus* (in quorum potestate est, similibus planè modis & medijs, quibus primùm creuit, & dilatata est, nempe fauoribus, & terroribus, iterum coarctare, vel radicitus tollere) inde altiores radices in mentibus Catholicorum defixas, teneat.

Deus Opt. Max. Rex Regum & Dominus Dominantium *Vestram Maiestatem* pacificè & fœliciter regnantem in terris quàm

diutissimè conservet, & postea Regni cœlestis in æternum potiri pro misericordia sua concedat.

Serenissimæ Vestræ Maiestatis

Subditus fidelissimus,

E. I.

Sacræ Theologiæ Studiosus.

SVM-

SVMMARIVM BREVE RERVM, quæ in hoc *Opuſculo* continentur.

PRimùm, Admonitio *ad Catholicos Anglos, vt conſcientias ſuas circa obligationem* noui *Fidelitatis* Iuramenti *diligenter examinent: quandoquidem ſi illud ſuſcipere recuſauerint, poſito quòd ſit licitum, & legitima authoritate miniſtratum, quod* Tractatus *iſte euidenter commonſtrat, præter bonorum omnium temporalium iacturam, in æternæ damnationis periculum ſe præcipitant, reſiſtendo legitimæ poteſtati, ac diuinæ ordinationi, cui* reſiſtentes damnationem

nem sibi acquirunt. *Rom.* 13.

Pag. 1. Secundò, *considerandà proponuntur*; 1. Nouum *Fidelitatis Iuramentum vnde tota hæc controuersia potissimùm exorta est.*

pag. 5. 2. Protestatio, *quam* tredecim Sacerdotes *Angli*, *per publicum* Instrumentum *suis chirographis consignatum, fecerunt* Reginæ Elizabethæ, *de constanti sua fidelitate* Ei *præstanda*, non obstante quacunque authoritate, vel sententia Excommunicationis denunciata aut denuncianda contra *suam Maiestatem*, vel *Eius* subditos *&c. cum* Annotationibus *in eandem* Protestationem.

pag. 31.

pag. 34. 3. Petitio D. Ioannis Coletoni *Archiepiscopo* Cantuariensi *exhibita, in qua priorem suam* Protestationem *denuo confirmat.*

pag. 37. 4. Declaratio *seu Recognitio*, *quam* D. Thomas Greenæus *Ordinis S.* Benedicti *Congregationis Hispa-*

Hispanicæ religiosus Sacerdos, & Sacræ Theologiæ Professor, exhibuit Episcopo Dunelmensi, *dum in Palatio eius detentus erat, de sententia sua quam tenet circa præfatum Fidelitatis Iuramentum: cum* Annotationibus *in eandem* Declarationem. pag. 41.

Tertiò, *quædam* Præludia generalia *proponuntur, vt cognoscamus.* 1. *quænam sint conditiones, seu* Comites, *leciti cuiuscunque* Iuramenti. pag. 48.

2. *Quibus regulis vtendum sit, ad verum & genuinum sensum alicuius vocabuli, aut sententiæ dubiæ & æquiuocæ in quacunque lege, & proinde in hoc* Iuramento, *quod publica* Ordinum *lege stabilitum est, contentæ eliciendum.* pag. 53.

3. *Quodnam erat* suæ Maiestati, & Parliamento *institutum in meditando & proponendo* nouo *hoc* Iuramento, *quod ex occasione* nouæ pag. 56.

nouæ *illius*, & *inauditæ nitrati pulueris Coniurationis excogitatum est*; *nimirum*, *ad verum discrimen constituendum*, *non inter* Protestantes, & Catholicos Romanos, *sed inter ipsosmet Catholicos*, *in rebus tantum ad debitam suam fidelitatem spectantibus*, & *præsertim ad authoritatem* Papalem *de* Principum *Coronis & Capitibus in ordine ad bonum spirituale disponendi*, *cui potissimùm execranda illa pulueris sulphurei* Coniuratio *tanquam fundamento innixa erat*.

pag. 68. 4. *Quibus potissimùm principijs nixi*, *possint Catholici Angli tutâ conscientiâ potestatem* Papalem Principes *supremos deponendi*, *seu eorum depositionem practicè machinandi*, *non solùm nudè & simpliciter negare*, *verùm etiam tanquam damnabilem*, *impiam*, & *hæreticam abiurare*; *ni-*

mi-

mirum, quoniam magna est inter eruditos Catholicos controuersia, & adhuc sub Iudice lis est, an Papa *possit* Principes *deponere: Vnde consequitur, esse apertam iniustitiam in* Papa, *& manifestam proditionem in subdito,* Principis *supremi & absoluti depositionem practicè machinari, seu eum è Regno, quod possidet, per vim extrudere, quamdiu controuersia hæc de potestate* Pontificis Principes *deponendi indecisa manet, neque per definitiuam legitimi ac indubitati Iudicis sententiam terminata fuerit.* pag. 72. pag. 69.

5. *Ostenditur,* Romanum Pontificem *non esse Iudicem legitimum & competentem ad hanc controuersiam de prætensa sua authoritate* Principes *supremos Regnis suis priuandi definiendam, quandoquidem magna inter eruditos Catholicos controuersia est, & doctri-* pag. 97.

doctrina à plurimis Prælatis & Doctoribus ab Authore *citatis ap-*
pag.98. *probata, quòd* Papa *absque veri & indubitati Concilij generalis consensu, & approbatione nullam potestatem habeat vllam omnino fidei doctrinam certò & infallibiliter definiendi, & multò minùs in propria causa, qualis est hæc controuersia de prætensa eius authoritate* Principes *supremos abdicandi. Et proinde tametsi hanc litem dirimendam in se susciperet, lis tamen & controuersia, non obstante eius definitione, indecisa maneret.*

pag.87.& seq. Quartò, *In* primis Octo *Capitibus perspicuè monstratur, nulli prorsus istius* Iuramenti *Clausulæ aut* Veritatem, *aut* Iustitiam, *aut* Iudicium *deesse: & proinde Anglos Catholicos non solùm licitè posse, verùm etiam omnino teneri ad illud præstandum,*

quo-

quotiescunque potestate legitima illis ministratum fuerit: alioquin legitimæ potestati resistunt, cui resistentes Damnationem sibi acquirunt. *Rom.*13.

Quintò, *In* Nono & vltimo Capite, *declaratiua* Pontificis *Breuia Iuramenti susceptionem prohibentia, eo quod* multa contineat, quæ fidei & saluti apertè repugnant, *perspicuè explicantur. Quæ* Breuia, *cùm* declaratiua *tantùm sint, non constituunt, sed solùm supponunt, Iuramentum esse illicitum, tanquam aliquid in se continens, quod* Veritati, *aut* Iustitiæ *apertè aduersatur. Et proinde, abstrahendo ab illis* Breuibus, *probandum omnino est, particularem aliquam Iuramenti Clausulam illicitam esse, quod tamen probari sufficienter non possit.* Tractatus *iste manifestè conuincit.* pag. 178.

Summarium istius Opusculi.

1. *Et* primò *in hoc* Capite *monstratur, nullam esse inobedientiam aut irreuerentiam eiusmodi* declaratiuis Breuibus *non obedire, quandoquidem in vna ex istis falsis suppositionibus, seu potius in vtraque fundantur: nimirum, vel*
pag. 184. primò, *quod doctrina pro potestate* Papali Principes *deponendi* certissima *sit, & de fide, atque extra omnem planè controuersiam posita, neque contraria verè probabilis sit, seu ab eruditis Catholicis approbata; quæ suppositio manifestè falsa est; vel* secundò, *quod potestas* Papalis *excommunicandi, ligandi & soluendi &c. & consequenter spiritualis eius authoritas in hoc Iuramento abiuretur, quod etiam non minùs perspicuè veritati repugnat, idque ipsum iam tam* Summum Pontificem, *quam*
pag. 188. & seq. Card. Bellarminum *perspectum habere, ibidem Author satis euidenter*

denter commonstrat : Et propterea Anglos Catholicos non solùm tutâ conscientiâ , & absque vlla inobedientia vel irreuerentia posse , sed etiam omnino debere illis non obedire , cùm præsertim sint sibimetipsis adeo perniciosa , Religioni Catholicæ Romanæ , *quam profitentur , adeo scandalosa , atque* Principi *suo supremo , qui absque manifesta iniustitia è Regno quod possidet , per vim extrudi sub prætextu potestatis non omnino certæ , sed in controuersia positæ non potest , adeo iniurioſa.*

2. *Quòd tametsi plures* Romani Pontifices *à tempore* Gregorij *Papæ VII. authoritatem* Principes *supremos deponendi sibi arrogârint , non tamen verè dici possunt , fuisse vnquam vel per minimum temporis spatium in possessione huius prætensæ authoritatis ; quando-* pag. 197. & seq.

quidem tam Principes, *quàm subditi Christiani illis hac in re semper restiterunt, & contradixerunt; cùm tamen, iuxta doctrinam Theologorum, ad possidēdam authoritatem, ius, & iurisdictionem necessariò requiratur, vt pars aduersa non repugnet aut contradicat; at res corporales, vt Domus, Prædia, Regna ab aliquo verè possideri possunt, quantumcunque alter, qui ad talia bona ius prætendit & forsan verum ius ad illa habet, resistat & contradicat.*

pag. 207. 3. *Quòd vtcunque possit aliquis sub prætextu & colore, quòd doctrinam probabilem sequatur, sibimet persuadere, se coram Deo, & in conscientia (de qua* Principes *temporales in suis Tribunalibus non tractant, sed conscientias solius Dei, scrutantis corda & renes, iudicio relinquunt) ab omni culpa excusari, si ad* Principem *suum*

suum deponendum cum Papa *concurrat : Attamen, cùm non solùm probabile, sed omnino certum sit, se coram* Deo, *& in conscientia excusari, si* Principem *suum, aduersùs omnes eiusmodi machinationes, & conspirationes in potestate ad summum probabili fundatas, totis viribus defendat ; atque insuper excusari non posse à formali proditione, & læsæ Maiestatis crimine in foro externo tam* Ecclesiastico, *quam* Seculari Principis *sui, qui absque aperta iniustitia è Regno quod possidet, deturbari nequit, sub prætextu potestatis non omnino certæ, quantumcunque probabilis iudicetur ; satis manifestum est prorsus insanire eos subditos, qui partes* Romani Pontificis *sequi velint, ad* Principem *suum deponendum sub prætextu eiusmodi potestatis, quæ etiam in speculatione & abstrahendo à praxi ad summum*

mum probabilis esse potest, quæque proinde fundamentum esse nequit, quo immediatè aliquis puniatur, aut re aliqua quam possidet, per vim spolietur.

pag. 211. Sexto, *& postremò consideranda proponuntur:* 1. Iuramentum Fidelitatis, *seu* primus *ille* Articulus, *quem tertia pars Ordinum* Franciæ *(in qua ex ducentis Deputatis sex tantùm* Protestantes *erant)* Regi Christianissimo *ab eo in legem Regni fundamentalem sanciendum proposuit.*

pag. 217. & 223. 2. Duo Arresta, *seu Decreta*, Senatus Parisiensis, *in quibus liber Card.* Bellarmini *aduersus* Barclaium, *& liber* Franciſci Suarez *aduersus* Sereniſſimum *magnæ Britanniæ* Regem *sub pœna læsæ Maiestatis proscribuntur.*

pag. 229. 3. Alterum Arrestum *eiusdem* Parliamenti, *in quo prædicta duo*

duo Arresta *aduersus libros* Bellarmini, *&* Suarez *denuo confirmantur*; *& præterea sancitur*, *ne quisquam cuiuscunque qualitatis aut conditionis fuerit*, *doctrinam de deponendis* Principibus *tanquam* problematicam, *seu probabilem in Scholis vel alibi doceat aut diuulget. Quæ omnia* Decreta *veritati & iustitiæ consona esse ibidem commonstratur*; *cùm* Principes Christiani *ex vi suæ potestatis politicæ rectam & plenam authoritatem habeant sub pœnis temporalibus prohibendi*, *ne quisquam doctrinas & positiones* non necessarias, *quantumcunque probabiles iudicentur*, *in suis Dominijs sustentent*, *doceant*, *aut diuulgent*, *quatenus eiusmodi doctrinæ*, *aut earum sustentatio & diuulgatio ad subuersionem Status*, *atque ad publicæ pacis perturbationem tendunt*, *&* Principum *tempora-* pag. 232.

peralium Coronis, ac Capitibus periculum afferunt.

pag. 234. 4. Purgatio Rogeri Widdringtoni *Catholici Angli, in qua* suam Sanctitatem *humillime precatur, vt vel* Decretum *contra* Apologiam pro Iure Principum, *&* Disputationem Theologicam de Iuramento Fidelitatis, *ab* Illustriss. Cardinalibus *ad* Indicem *deputatis, ex mala quorundam informatione editum, &* Romæ *typis excusum, reuocandum curet, vel, vt pro debito officij sui Pastoralis, sibi manifestum facere dignetur, quidnam speciatim contra sanam doctrinam aut bonos mores in dictis libris euulgauerit, vt quæ purganda sunt, purgare, emendanda emendare, & retractanda retractare quamprimum possit.*

pag. 265. 5. *Authoris* Obseruatio *in prædictam* Purgationem; *eiusdem-*

Summarium iſtius Opuſculi.

demque Admonitio *ad quoſdam Ordinis* S. Benedicti *Religioſos, qui doctrinam* Widdringtoni, *quam ipſemet* Papa *in* Francia *tolerat, in* Anglia *non* argumentis, *& rationibus, ſed* Iuramentis, *& aſtutis machinationibus nimiùm imprudenter oppugnare ſtudent.*

In *Epiſtola Dedicatoria* pag. 8. lin. 15. pro *denegaturum* lege *denegaturam.*

AD-

ADMONITIO AD CATHOLICOS Anglos.

I. Ogitate vobiſcum ſedulò (*Conterranei mei dilectiſſimi*) quã maximi nouum hoc fidelitatis Iuramentum, vobis ſub pœnis adeo grauibus propoſitum, veſtrùm omnium interſit, non ſolùm quoad temporalia veſtra tam corpo-

ris quàm fortunæ bona (quæ temere & præcipitanter prodigere nec æquum nec licitum est, si præsertim vxoris, & liberorum, quorum necessitatibus prouidere ex naturæ instinctu debetis, vobis cura incumbat) sed potissimùm quoad æternam animarum vestrarum salutẽ, quam bonis quibuscunque mundanis anteponendam esse, nemo, Christianæ Religionis instituta callens, ignorare potest. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Etenim, si *nouum* hoc *Iuramentum* est verè temporalis fidelitatis Iusurandum, & à legitima potestate procedens (quod *Tractatus* iste manifestè conuincit) satis profectò constat, eos in æternæ damnationis periculum sese vltrò conijcere, qui illud à potestate

Matth. 16.

ſtate legitima ſibi miniſtratum ſuſcipere detrectant, quandoquidem poteſtati legitimæ, & diuinæ ordinationi, à qua omnis poteſtas profluit, repugnant, atque reſiſtunt. *Qui enim poteſtati reſiſtit, diuinæ ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, damnationem ſibi acquirunt.* Rom. 13.

2. *Inprimis* igitur, Vos qui *Laici* eſtis, rem hanc diligenter examinare quàm maximè oportet, neque in profundum tam ſpiritualis quàm temporalis miſeriæ barathrum obcæcatos vos duci permittatis, & præſertim à cæcis & imperitis ductoribus, qui vera grauiſſimæ huius Controuerſiæ fundamenta nec ſciunt, nec ſcire deſiderant: & proinde vix vllis perſuaſionibus induci poterunt, vt ad veſtras conſcientias meliùs informandas, ſingulas iſtius *Iuramenti* (quod

multi ex ipsis, idque sciens dolensque refero, nedum perlegerunt) Clausulas sigillatim discutere, & quænam ex illis licitæ vel illicitæ sint, tutâque conscientiâ iurari possint vel nequeant, vobiscum seriò expendere velint; sed ad ignorantiam suam, sub zeli & deuotionis velo, palliandam, absque vlteriori examine verbis tantùm generalibus conclamitare soleant, *Ecclesia, Papa, Petra*, fundamentum illud est, cui boni Catholici adhærere teneantur; haud scientes ipsimet, quænam potestas sit spiritualis & *Papæ* vel *Ecclesiæ* conueniat, & quænam potestas sit temporalis, & *Principibus* temporalibus debeatur: Atque *Papam* non esse *Ecclesiam*, sed præcipuum duntaxat illius membrum; Et *Summi Pontificis* opinionem, & consequenter *declarati-*

ua illius *Breuia*, quando vel in falsis suppositionibus, vel in sola illius, aut aliorum opinione fundantur, non esse *Petram*, illam, super quam sempiternam suam salutem construere debent: Et denique non considerantes, quòd quando inter *Romanos Pontifices*, & *Principes Seculares* lis aliqua vel controuersia exorta sit, vel in posterum fuerit, *Principes*, eorumque subditi fideles sæpenumerò Summis Pontificibus & restiterint, & tutâ conscientiâ resistere etiam possint. Veluti *resistentia*, quâ *Philippus Pulcher* restitit *Papæ Bonifacio* VIII. (qui eundem *Philippum* Regno priuauit, [a] illudque *Alberto Cæsari* donauit, atque insuper declarauit, [b] *se eos hæreticos reputare, qui non credunt*, dictum *Regem sibi in spiritualibus & temporalibus subiectum esse*) &

a Genebrardus *lib. 4. ad annum* 1294.
b Nicolaus Viguerius *ad annum* 1301.

resistentia, qua *Ludouicus* duodecimus restitit *Papæ Iulio* secundo (a quo idem *Rex* Regno primatus est, [c] *illudq; cuicunque illud capienti in prædam datum*) recte commendatur à *Ludouico Richeomo* [d] Societatis Iesu *Prouinciali*, atque instar exemplaris ad imitandum proponitur: atq; etiam idem *Author* affirmat, quod *quotiescunq;* Papa *aliquis* Regi Franciæ *iniuriam inferret*, *sicut* Pontifices *illi* Regibus *illis* iniuriam *fecerunt*, Iesuitæ *in tali casu illud efficerent*, *quod fecerunt illis temporibus boni Clerici, & boni Franci vna cum Regibus* Philippo, & Ludouico, *qui iura sua defendentes sanctæ* Sedis *reuerentiam nunquam deseruerunt*. Quapropter etiam atque etiam vos rogo, vt summopere caueatis, quos ductores & instructores ad conscientias vestras in hac grauissima contro-

[c] Franciscus Guicciardin. *lib.* 11. *ad annum* 1512.
[d] *In Apologet. cap.* 24. 25. *Vid. etiam* Brereleium *in Præfat. Apologiæ* Protestantium pro Ecclesia Romana *sect.* 20. 21. *& seq.*

controuersia dirigendas sequamini, atque illam *Christi* Domini admonitionem recordemini, *Cæci sunt, & duces cæcorum; Cæcus autem si cæco ducatum præstet amba in foueam cadunt.* Matth. 15.

3. *Secundò*, Vos qui *Sacerdotes* istis, & alios in via æternæ salutis dirigendi munus suscepistis, *semperque paratos esse* oportet, *ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est*, fide, si verè & ex animo opinemini, *Iuramentum* istud esse licitum, & recta ac plena authoritate ministratum, summopere vobis cauendum est, ne animæ & conscientiæ vestræ vllo respectu mundano coinquinatæ sint, & ne vel spes lucri aut honoris, vel indigentiæ aut opprobrij metus, vos à debita admonitione illis, quos docendi, dirigendi atque instruendi curam suscepistis, 1. Petr. 3.

stis, adhibenda detineat, vt caueant à periculo quod sibi creant, si *Iuramentum* istud, quando legitima anthoritate illis ministratum fuerit, suscipere abnuerint, ne vos periculum illud, in quo versantur, præsentientes, neque illud sibi annunciantes, non solùm spirituali iacturæ, quam (diuinæ ordinationi & legitimæ potestati resistendo) faciunt, participes sitis, verùm etiam non leuem temporali eorum ruinæ causam afferatis, atque ita miserissimam silentium vestrum deplorandi causam habeatis; nimisque serò cum gemitu exclamandi; *Væ mihi quia tacui.* Quod si forte esse aliquis vestrum, qui in conscientijs vestris *Iuramentum* istud licitum esse existimatis, inundano aliquo intuitu (quod absit) motus, ijs Catholicis, qui illud vel susce-

Isai. 6.

pisse,

piſſe, vel approbare noſcuntur, obſtreperet, atque obloqueretur, hoc ſanè non ſolùm nefandiſſimum in conſcientias veſtras crimen, verùm etiam graue quadamtenus in *Spiritum Sanctum* ſcelus eſſet, veritatis, nempe, in mentibus veſtris agnitæ impugnatio, quod quàm difficulter vel in hoc ſeculo, vel in futuro dimittatur, *Chriſtus Dominus* in Euangelio verbis diſertiſſimis atteſtatur. Math. 12.

4. *Tertiò* denique, vt *Sacerdotes* illi, qui *Iuramentum* iſtud omnino illicitum eſſe ex corde arbitrantur, & proinde non ſolùm eos, quos docendi ac dirigendi curam in ſe ſuſceperunt, admonere non deſinunt, vt ſibi caueant à ſpirituali illo periculo, quod *Iuramenti* ſuſceptio illis ex eorum ſententia procreabit, verùm, ex nimio zeli feruore, in

fratres

fratres suos Catholicos, qui *Iuramentum* istud vel præstant, vel licitè præstari posse existimant, tanquam in *Apostatas* à fide ac religione Catholica, atque in *Papam* & *Ecclesiam* rebelles, acerbissimè inuehuntur, similem occasionem alijs præbentes, vt ipsos tanquam *Apostatas* à naturali fidelitate, *Principibusque* suis temporalibus rebelles & proditores meritissimè insectentur) vt, inquam, *Sacerdotes* illi sibimetipsis caueant, æternæque suæ saluti consulant, quàm maximè opus est, atque vt, iuxta admonitionem illam, quam Card. *Bellarminus*, [e] tremendissimum *Innocentij* Papæ tertij mortem recensens, Ecclesiæ Pastoribus commendat, *conscientiæ suæ secreta sollicitè rimentur, ne fortè erronea sit, cùm sibimet recta & sana esse videatur*, & ne zelus ipsorum, quantumuis

[e] De *Gemitu columbæ* lib. 2. cap. 9.

sibi

sibi met purus, & secundùm scientiam esse videatur, cæcus non sit, & ignorantiæ culpandæ, aut affectatæ innitatur, ad instar illius, quo *Iudæi* repleti sunt, quando *Christum* Dominum crucifixerunt, & *Saulus*, quando *spirans minarum & cædis in discipulos Christi*[f], eos persequebatur, *arbitrantes* talia faciendo, *obsequium se præstare Deo*[g]. f Act. 9. g Ioan. 16.

5. Et certè, si inconsideratus iste horum *Sacerdotum* zelus sibimetipsis duntaxat nocivus esset, in leuiorem profectò reprehensionem incurrerent; veruntamen si serio secum cogitarent, quàm magnum supremæ *Regum* dignitati, & potestati temporali præiudicium, quàm ingens Religioni *Catholicæ Romanæ* quam profitentur, scandalum, & quam intolerandam iniuriam afferat *Catholicis* eorum fratribus, qui morum pro-

probitate, atque doctrina illis inferiores non ſunt, quos infamia notare, omnibuſque Catholicis, & præſertim amicis ſuis & benefactoribus exoſos reddere, atque ita bonam ſui nominis exiſtimationem, & media ad viuendum neceſſaria illis auferendo, in extremam egeſtatem & miſeriam, & quantum in ipſis eſt, in apertam deſperationē adducere ſtudent (pro quo exactiſſimam in extremo Iudicij die rationem reddituri ſunt) ſi inquā, hæc diligenter expenderent, perſpicue viderent, ſe iuſtiſſimam habere cauſam conſcientias ſuas accurate examinandi, atque diligenter perſcrutandi, quibus indubitatis fundamentis nixi ſe in tremendo Iudicij die excuſare poſſint, eo quòd modis adeo ſcandalolis, atque à charitate & iuſtitia alienis ſe gerant tam erga

Prin-

Principem ſuum ſupremũ (quem vtpote *à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem* reuereri, illique in temporalibus obedire tenẽtur) quàm erga fratres ſuos Catholicos, qui non ſolum eruditione & ſanctimonia illis impares non ſunt, verùm etiam grauiſsimam hanc controuerſiam, & vniuerſa pericula tam ſpiritualia quàm temporalia quæ inde pendent, non minùs accuratè, quin potiùs multò accuratiùs quàm ipſimet, examinarunt.

6. Vt igitur vos omnes (*Conterranei mei dilectiſsimi*) conſcientias veſtras in grauiſsima iſta de *Iuramento fidelitatis* controuerſia faciliùs & accuratiùs perſorutari poſsitis, pleniùſque in ea erudiri, quàm vos hactenus inſtruxerit I. E. qui *Tractatum de poteſtate Eccleſiaſtica & Regia compilauit* (qui ſi verum eſt quod fa-

ma

ma loquitur, cito cum rubore audiet, quàm bella *scilicet* documenta vobis dederit) hanc breuem *Iuramenti* Explicationem ex *Rogeri Widdringtoni* doctrina & principijs ab eo fusiùs explicatis, sed pressiùs à *Rege* nostro *Serenissimo* in sua *Apologia* & *Præfatione monitoria* positis collegi, quam, vtpote primo noui istius anni die plenè absolutam, vestris charitatibus loco *Strenæ*, & veluti pignus exiguum magni illius desiderij, quo omniùm vestrum salus tam spiritualis quàm temporalis me afficit, offerre ausus sum. Vosque obnixe deprecor, vt eam perlegere non dedigneminj, cum neque adeo prolixa sit, quin eam paucarum horarum spatio transcurrere possitis, neque adeo obscura, vt quiuis mediocriter doctus eam intelligere non queat; & postquam per-

perlegeritis, vt de ea talem quam meretur ſententiam ferre velitis. Et ſi inde vos aliquod emolumentum recepiſſe intellexero, non exigua ſanè lætitia exultabo; ſed vtcumque fuerit, me neque oleum, neque operam perdidiſſe magna mihi conſolatio eſt, quandoquidem debitum amoris & ſeruitutis meæ officium, quo *Principi* & *Patriæ*, *Religioni Catholicæ*, & vobis *Conterraneis* meis *dilectiſsimis*, ſed præ cæteris *Deo omnipotenti* totius veritatis Authori, & defenſori (quique tempore opportuno *reddet vnicuique ſecundum opera eius*) obſtrictus ſum, me, veritatis perneceſſariæ propugnãdæ gratia, ad hanc operam inſumendam omnino compulerit. Atque ita fauſta omnia vobis deprecans plurimùm confido, vos deinceps prudentiores fore, nec

cæco

cæco aliquo aut inordinato erga *Principes*, vel *Prælatos* affectu facilè abducendos, ſed omne ſtudium adhibiturò s, vt *Deum timeatis, Regem honorificetis*, atque
1. Petr. 2. vt ſincerè, & abſque vllo humani fauoris aut timoris intuitu,
Matth. 22. *Deo & Cæſari*, & conſequenter *Regi & Pontifici, quæ ſua ſunt, reddatis.*

NOVI

EXEMPLAR

Noui fidelitatis *Iuramenti* in Comitijs Regni Generalibus publica Ordinum lege, anno *Christi* 1604. & Regis *Iacobi* tertio in *Anglia* stabiliti, & in *Octo clausulas*, prout in hoc *Tractatu* explicatur, diuisi.

1. EGo A. B. *vere & sincere agnosco, profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea, coram Deo & mundo, quod supremus Dominus noster Rex* Iacobus *est legitimus & verus Rex huius Regni, & omnium aliorum* Maiestatis suæ *Dominiorum, & Terrarum.*

2. *Et quod* Papa, *nec per seipsum, nec per vllam authoritatem* Ecclesiæ,

vel Sedis Romanæ, *vel per vlla alia media cum quibuſcunque aliis, aliquam poteſtatem vel authoritatem habeat* Regem *deponendi, vel de aliquibus* Maieſtatis ſuæ *Regnis, aut Dominijs diſponendi, vel alicui* Principi *extraneo ipſum damnificare, aut terras ſuas inuadere, authoritatem concedendi: vel vllos ſubditorum ſuorum ab eorum* ſuæ Maieſtati *ſubiectione & obedientia exonerandi, vel vllis eorum licentiam, aut facultatem dandi, Arma contra ipſum gerere, tumultus concitare, vel aliquam violentiam aut damnum* Maieſtatis ſuæ *Regiæ perſonæ, Statui vel Regimini, aut aliquibus* Maieſtatis ſuæ *ſubditis intra ſua Dominia offerre.*

3. Item *iuro ex corde, quòd non obſtante vlla declaratione, vel ſententia Excommunicationis, aut deprivationis facta, vel conceſſa, aut facienda, vel concedenda per* Papam, *vel Succeſſores ſuos, vel per quamcunque authoritatem derivatam, vel derivari pretenſam ab illo, ſeu à* ſua Sede, *contra dictum* Regem, *Hæredes, aut Succeſſores ſuos, vel quacunque Abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientia, fidelitatem*

tatem tamen & veram obedientiam ſuæ Maieſtati, *Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis præſtabo; Ipſumque, & ipſos, totis meis viribus, contra omnes Conſpirationes & attentata quæcunque, quæ contra* Perſonam *illius vel illorum, eorumque Coronam & dignitatem, ratione vel colore alicuius eiuſmodi ſententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint,* defendam: *Omnemque operam impendam reuelare, & manifeſtum facere ſuæ* Maieſtati, *Hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis, omnes proditiones & proditorias cõſpirationes, quæ contra illum, aut aliquos illorum ad meam notitiam, vel auditum peruenerint.*

4. Præterea iuro, *quòd ex corde abhorreo, deteſtor, & abiuro, tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem Doctrinam, & Poſitionem*, quòd Principes per *Papam* excommunicati, vel depriuati, poſſunt per ſuos Subditos, vel alios quoſcunq; deponi, aut occidi.

5. Et vlteriùs credo, & in conſcientia mea reſoluor, *quòd nec* Papa, *nec alia perſona quæcunque poteſtatem habeat me ab hoc Iuramento, aut aliqua eius parte abſoluendi.*

6. Quòd Iuramentum agnoſco, rectè ac plenè authoritate eſſe mihi legitimè miniſtratum, omnibuſque Indulgentijs ac diſpenſationibus in contrarium renuncio.

7. Hæcque omnia planè ac ſyncerè agnoſco & iuro, iuxta hæc expreſſa verba à me prolata, & iuxta planum, & communem ſenſum & intellectum eorundem verborum, abſque vlla æquiuocatione, aut mentali euaſione, aut ſecreta reſeruatione quacunque.

8. Hancque Recognitionem, & aquitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè in vera fide Chriſtiani viri. Sic me Deus adiuuet.

EXEM-

EXEMPLAR

Protestationis, quam *tredecim Sacerdotes Angli*, per publicum *Instrumentum* suis chirographis consignatum vltimo die *Ianuarij* 1602. fecerunt *Reginæ Elizabethæ*, de constanti fidelitate & obedientia illi in perpetuum præstanda, *non obstante quacunque authoritate, vel Excommunicationis sententia contra ipsam, eiusue subditos, qui eam defenderent, denunciata, vel in futurum denuncianda.*

CVm Serenissima Domina *nostra dignata sit (quod nupero* Edicto *ostendit) nostram* Sacerdotum Secularium, *qui natiui sumus* Maiestatis suæ *subditi, fidelitatem, & obsequium aliqua ex parte recognoscere: cumque* Ea *pro* Regia *sua clementia locupletem gratiæ erga nos, & misericordiæ alicuius Arrham nobis (qui post susceptum à primo Regni*

eius anno Sacerdotij gradum in patriam reuersi, mortis supplicio è Regni legibus sumus omnes obnoxij) dederit: Cùmque Eadem *contenta syncerà tantùm obsequij nostri professione, quæ* Maiestatem suam *de nostra in* Regiam *eius* Personam, Coronam, Statum, & Dignitatem, *fidē securam reddat, nihil requirat amplius: Nos, quorum subscripta extant nomina, ad* Maiestatis suæ *pedes humillimè abiecti, ob hæc tanta beneficia* Celsitudini suæ *nos impensissimè deuinctos agnoscimus, eamque* Maiestati suæ *hac in re fiduciam & satisfactionem parati sumus lubentissimè dare, quam* Principibus *suis Catholici* Sacerdotes *quilibet possunt vel debēt polliceri.*

1. Primò *itaque agnoscimus & confitemur,* Serenissimæ Reginæ Maiestatem *non minus plena authoritate & superioritate, in nos reliquosque omnes huius Regni subditos, quam vnquam* è Maioribus *suis quemlibet dominari.* Porro *item profitemur, nos libenter paratos esse in omnibus casibus & conditionibus, eius imperio obsequi, quatenus Christiani vnquam* Sacerdotes, *vel in hoc Regno, vel in vlla alia Christiani*

Or-

Orbis Regione ex lege diuina, & Chriſtiana Religione temporalibus ſuis Principibus *parere tenebantur: Veluti tributum, cæteraque omnia debita Coronæ vectigalia ſoluere: eius legibus, Magiſtratibuſq; in omnibus cauſis ciuilibus obedire: Deum precari, vt* Ea *auſpicatum & tranquillum imperium in hac vita (pro Sacroſancta Numinis voluntate) & poſt hanc vitam æternam beatitudinẽ conſequatur. Atq; hanc noſtram* Recognitionẽ *ita ſolidè diuino verbo fundatã exiſtimamus, vt nulla authoritas, nulla cauſa, aut cauſæ prætextus vllam iuſtam & idoneam nobis, magis quàm* Proteſtanti *cuilibet, facultatem poſſit, aut debeat præſtare, vt* Maieſtati ſuæ *in re vlla ciuili aut temporali obſequium detrectemus.*

2. Secundò, *cùm per præteritos hoſce annos plurimæ in* Maieſtatis ſuæ Perſonam, & Statum *coniurationes ſint initæ, multique pro inuadendis* Maieſtatis ſuæ *Dominijs, ſub nouis quibuſdam prætextibus, & conſilijs, Religionis Catholicæ armis reſtituendæ, hoſtiles conatus ſint ſuſcepti (res cæteris Orbis partibus, & præcipuè atque vnicè præ*

reliquis, qui à Religione & obedientia Sedis Apoſtolicæ, *non minùs, quàm* Eadem ipſa, *Principes diſceſſerunt, in* Maieſtatem ſuam, *& eius Regna tentata) quibus violentis incæptis* ſua Maieſtas, *ſingulari alioqui erga Subditos ſuas* Clementia, *magnopere permota ſit, vt in Catholicos (qui* Apoſtolicæ Sedi *in re fidei, & Religionis coniuncti, facilè ſuſpecti ſint hiſce conſpirationibus, & incurſionibus fauere) leges acerbiores & ferret, & curaret exequendas, quàm, niſi hæc facta hoſtilia, & bella interueniſſent, vnquam forſan latæ, aut cogitatæ fuiſſent*: Nos, *vt* Maieſtati ſuæ *fidelitatem noſtram, etiam in hac particulari cauſa probemus, ſyncerè profitemur, & hoc publico facto, vniuerſo Orbi Chriſtiano teſtatum facimus, nos in hiſce caſibus Conſpirationum, Machinationum in* Maieſtatis ſuæ *vitam, inuaſionum & conatuum quorumcunque hoſtilium, qui a forinſeco quouis* Præſule, Principe, *vel* Pontentatu *quocunque, ſiue coniunctim, ſiue ſeparatim, ad perturbationem, vel exitium* Maieſtatis ſuæ *Perſonæ, Status, Regnorum, aut Dominiorum ſub fuco, ſpecie,*

præ-

prætextu, vel conſilio Religionis Catholicæ Romanæ *in* Anglia, *aut* Hibernia *reſtituendæ, fieri poterunt*, Maieſtatis ſuæ *Perſonam, Statum, Regna & Dominia ab omnibus illiuſmodi hoſtilibus, & violentis incurſibus, & iniurijs defenſuros. Sed & omnes Conſpirationes, aut conſilia, quæ à* Prelato, Principe, *aut* Potentatu *quocunque, contra* Maieſtatis ſuæ *Perſonam, aut Dominia quauis de cauſa, vt ſuprà eſt dictum, iniri intelligemus, non ſolùm nos ipſos tum detecturos, palámque facturos, tum pro viribus eiſdem reſtituros, ſed & Catholicis omnibus, vt idem faciant, quantum in nobis erit, vehementer authores futuros.*

3. Tertiò, *ſi poſt aliquam* Excommunicationis *ſententiam in* Maieſtatem ſuam *declaratam, vel declarandam, vel ante eiuſmodi coniurationes, inuaſiones, aut hoſtiles conatus, de quibus ſuprà, faciendos*, Papa *etiam omnes intra* Maieſtatis ſuæ *Dominia natos excommunicaret, qui à* Maieſtatis ſuę, *eiuſque Dominiorum defenſione, vt ſuprà, non recederent, & huiuſmodi Conſpiratorum, aut Inuaſorum partibus*

bus in his, & similibus quibuscunque casibus, se non adiungerent; Nos *in his, omnibusque istiusmodi casibus, nosmetipsos, Laicosque omnes Catholicos, qui* Maiestatis suæ *ditionum sunt Natiui, conscientiæ lege minimè tenemus esse adstrictos, vt huic, aut huius generis* Censuræ *cuilibet pareamus*; *sed non obstante* quauis authoritate, *vel* Excommunicationis quacunque sententia, *aut denunciata, aut denuncianda, vt suprà*, Principem & Patriam *nostram, quod officij nostri existimamus esse, defendemus, omnemque in casis temporalibus* Maiestati suæ *obedientiam præstabimus.*

4. *Quoniam verò certissimum est, dum nos Christianâ hâc nostra, & syncera* Protestatione, *pium nostrum in* Maiestatem suam *affectum, & fidelitatem* Ei *probare nitimur, non defuturos, qui legitimum factum nostrum damnare, & in peiorem interpretari partem velint, immò & multis iniquis sermonibus, & calumnijs apud Orbem Christianum, præcipuè verò apud* Sanctitatem suam *facta nostra traducere, in multò maximum existimationum, &*

per-

perſonarum noſtrarum præiudicium & noxam, niſi eorum hac in re conatibus maturè occurramus, Maieſtatem ſuam *ſupplices obteſtamur, vt in hac noſtra* Recognitione, *dum quæ ſunt* Cæſaris Celſitudinæ ſuæ *reddimus, cum* Eius *benigna venia nobis ſimul liceat, maledicentiam, & calumnias vitandi cauſa, ſimili etiam actu publico palam teſtari, nos* Maieſtati ſuæ *debitum obſequium agnoſcendo, à nulla Chriſtiani illius officij lege recedere, quod* ſupremo Paſtori *ſpirituali debemus.*

5. *Quamobrem agnoſcimus & confitemur*, Epiſcopum Romanum ſancti Petri *in ea Sede Succeſſorem eſſe, neque minùs, non tamen magis amplam in nos, reliquoſque Chriſtianos authoritatem, aut Iuriſdictionem obtinere, quàm ex conceſſu, & mandato* Chriſti *Saluatoris noſtri Apoſtolus ille habuerit: Noſque* Sanctitati eius, *quatenus ex diuina lege tenemur, morem geſſuros; quod cum obſequio noſtro, quale ſuprà profeſſi ſumus, in* Principem noſtram *temporalem, non dubitamus, quin rectè poſſit conſiſtere: Vt enim* Maieſtatis ſuæ, *Patriæque noſtræ tuendæ cauſa,*

sa paratissimi sumus sanguinem nostrum profundere, ita etiam constitutum habemus vitâ potiùs cedere, quàm Catholicæ Christi *Ecclesiæ legitimam authoritatem violare.*

Guilielmus Bishop.
Ioannes Colleton.
Ioannes Mush.
Robertus Charnocke.
Ioannes Bosseuile.
Antonius Hebborne.
Rogerus Cardwallader.
Robertus Drury.
Antonius Champney.
Ioannes Iackson.
Franciscus Barneby.
Oswaldus Needham.
Richardus Button.

Anno-

1. HVic *Protestationi* plurimi alij *Sacerdotes* vtique subscripsissent, (vti quidam primarius ex illis fide dignissimus mihi seriò affirmauit) si Articuli illi, quos *D. Bancrofto*, tunc *Londinensi Episcopo*, iampridem tradiderant, vt eos *Reginæ* Consiliarijs exhiberet, vel pauculis diebus ante finem *Ianuarij* (vltimum nempe diem, qui Regio Edicto illis præfixus erat, vt professionem suæ fidelitatis publicam facerent) sibi denuo redditi fuissent. Hæcque eorum *Protestatio* noui istius *Iurisiurandi* basis ac fundamentum erat, & veluti exemplar, ad instar cuius, tres *Regni Ordines* (vt idem D. *Bancroftus* tunc *Archiepiscopus Cantuarienſis*, in præsentia cuiusdam *Sacerdotis Catholici* mihi amicissimi syncerè professus est) prædictam *Iuramenti* formulam, tanquam doctrinæ Catholicæ principijs consonam, fabricarunt, eo duntaxat fine, vt verum discrimen constituerent, non inter *Catholi-*

Vide *Apologiam* suæ Maiestatis, & *Præfationem* eius *Monit* non l princ

tholicos, & *Proteſtantes*, ſed inter illos *Catholicos*, *qui turbulenti non ſunt*, *ſed alioqui boni ciues*, *& in rebus omnibus ciuilibus obedientiam & obſequium retinent*, *& eos Catholicos*, *quorum animis opiniones illæ furioſæ & ſanguinariæ inhæreſcunt*, *quæ Coniurationem nitrati pulueris pepererunt.*

2. Et certè qui nouum illud *Iuramentum* cum eorum *Proteſtatione* diligenter conferre voluerit, & ſimul etiam ſeriò conſiderare, *Reginam Elizabetham* longè ante id tempus omni *Regali* iure, authoritate, & iuriſdictione per *Bullam Pij* V. priuatam fuiſſe, & præterea examinare voluerit, quibus principijs ac fundamentis nixi *Sacerdotes* illi poterant licitè *profiteri*, Sereniſſimæ Reginæ Maieſtatem, *non minùs plena authoritate & ſuperioritate in eos*, *reliquoſque omnes huius Regni ſubditos*, *quam vnquam è Maioribus*, ſeu Prædeceſſoribus, *ſuis quemlibet*, *dominari*; Atq; inſuper licitè *polliceri* poterant, *quòd non obſtante quauis authoritate* (& conſequenter authoritate Papali Principes depriuandi) *vel excommunica-*

tionis

tionis quacunque ſententia, aut denunciata, aut denunciandacontra ſuam Maieſtatem, *vel contra eius ſubditos, vt ſuprà, omnem tamen in cauſis temporalibus obedientiam* ſuæ Maieſtati *præſtarent, exiſtimantes illud eſſe officij ſui &c.* clariſſimè perſpiciet, vti *Suarez* argumento planè conuincenti demonſtrat, illam ſuam *Proteſtationem* parum aut nihil à nouo hoc fidelitatis *Iuramento*, quod ad ſubſtantiam eius attinet, nempe ad abnegationem poteſtatis Pontificiæ Regem deponendi, differre, ſed hoc ſolùm inter ea diſcrimen reperiri, quòd in *Iuramento Romani Pontificis* authoritas Regem deponendi *verbis expreſſis* denegetur, ſed illius negatio in eorum *Proteſtatione* ſolùm *tectè*, *tacitè*, & per *neceſſariam conſequutionem* contineantur. Vide infrà nu. 10.

3. Sed quoniam vnus quidam ex iſtis *Sacerdotibus* acerbiſſimè ferens hanc ſuam *Proteſtationem* in fauorem doctrinæ, quæ *Romano* Pontifici *Principes* deponendi poteſtatem negat, tam crebro inculcatam eſſe, & timens fortaſſe ne ipſe ea de cauſa

non

non leui infamia, tanquam prædictæ doctrinæ adhæreſcens, in *Curia Romana* notetur in *Widdringtonum*, qui *Proteſtationem* illam toties euulgauit; acerrimè inuehitur, eumque vehementius nunc quàm vnquam antea maledictis inſectatur. Nam *primò* eaſdem calumnias & verborum contumelias in eum nunc conijcere non erubeſcit, quas olim D. *Sculkenius* illi falſo & malitioſe impoſuit, & à quibus idem *Widdringtonus* iamdudum ſe publicè purgauit, eundemque *Sculkenium* de dolo malo, & de manifeſta calumnia, & impoſtura apud *Suam Sanctitatem* ſcripto publico in iudicium adduxit. *Deinde* alijs perſuadere ſtudet *Sacerdos iſte* eundem *Widdringtonum* hanc eorum *Proteſtationem* in publicum produxiſſe contra propriam conſcientiam, ex odio & indignatione contra vnum ex iſtis *Sacerdotibus* ætate & grauitate venerandum concepto, cui etiam ingenuè confeſſus eſt, vi ſcilicet argumentorum coactus, ſi credere fas eſt, hanc eorum *Proteſtationem* nihil prorſus nouo fidelitatis

Iura-

Iuramento patrocinari. Quæ tamen apertiſſimæ calumniæ ſunt *iſtius Sacerdotis*, & mendacia impudentiſſima, ab homine cauteriatam conſcientiam habente de induſtria primùm confictę. Nam & ipſe *Widdringtonus* ſæpe palam proteſtatus eſt, ſe purè & ſyncerè ſolo veritatis intuitu, & nullo inordinato aut fauoris, aut timoris humani, & multo minùs odij aut indignationis affectu ad ſcribendum motum eſſe. Et præterea ſatis conſtat, idque ampliſſimis teſtimonijs comprobari poteſt, eum tunc temporis, quando primùm eorum *Proteſtatio* in lucem ab ipſo edita eſt, cum iſto & altero etiam, cuius iſte meminit, *Sacerdote venerando* amicè & familiariter admodum vixiſſe, neque vllam iurgiorum aut diſcordiarum inter eos, multò minùs odij cauſam eo tempore extitiſſe. Sed cùm primùm *Sacerdos* iſte *Proteſtationem* ſuam à *Widdringtono* in fauorem ſuæ ſententiæ productam viderat, tunc veterem amicitiam diſrumpere, & vltra modum ſtomachari, eumque verborum contume-

liis lacerare cœpit. Itaque hæc plana, aperta, & ipſiſſima veritas eſt, *Widdringtonũ* hanc tredecim Sacerdotum *Proteſtationem* non in odiũ, & vituperationẽ ipſorũ, quin potiùs in eorũ cõmendationem, ſed potiſſimũ in ſuæ doctrinę confirmationem in medium protuliſſe. Et certè multò veriſimiliùs eſt, *Sacerdotem iſtum* (ſi de hominum conſcientiis, quæ ſolius Dei iudicio, qui corda & renes ſcrutatur, relinquendæ ſunt, liceret *Widdringtono* tam præcipitanter iudicare, atque ipſe de illius conſcientia iudicium ſuum nimis temerè interponit) contra propriam conſcientiam ex odio & indignatione contra *Widdringtonum* concepto, eo quòd *Proteſtationem* ſuam tam publicam fecerat, prædictas calumnias ex ipſiuſmet, vel alterius ſibi amiciſſimi cerebro excogitatas, ad fidem, famamq; *Widdringtono* detrahendam, de inſtituto obiectaſſe, cùm ante id tempus nullam inter ipſos diſſentionem, aut diſſidii cauſam extitiſſe nimis manifeſtum ſit, neque *Sacerdos iſte*, niſi iam perfrictiſſimæ frontis fuerit, omnemque verecundiam

ex-

exuerit, illud abſque ſummo rubore denegare poterit.

4. Sed quoniam *Sacerdos iſte* (*quantum mutatus ab illo, ſed tempora mutantur, & nos mutamur in illis*) tam ægrè fert, vt dixi, *Proteſtationem* ſuam in confirmationem *Iuramenti*, atque doctrinæ quæ negat *Pontifici* poteſtatem *Principes* deponendi, toties allatam eſſe, & tam inuerecundè affirmat, ipſum *Widdringtonum* planè contrarium cuidam *Sacerdoti* confeſſum eſſe, vt omnes clarè intelligant, quam exiguam veritatis ſpeciem falſa hæc illius aſſertio præ ſe ferat, & quàm potens argumentum ad prædictam *Pontificis* poteſtatem impugnandam ex eorum *Proteſtatione*, iuxa *Widdringtoni* ſententiam deduci queat, non abs re erit ea hîc inſerere, quæ idem *Widdringtonus* alibi fuſius de hac *Proteſtatione* diſſeruit. Nimis enim manifeſtum eſt, hanc eorum *Proteſtationem* à periurii crimine nullatenus excuſari poſſe, niſi ſupponat, nullam poteſtatem, ſeu authoritatem *Summo Pontifici* competere *Regineam Maieſtatem* deponendi.

Widdring. in Confutat. Anglicana *Tho. Eitzherberti* part. 1. cap. 5.

nendi. Nam ſi talis poteſtas illi competeret, cùm iam *ſua Maieſtas* per *Pij V.* ſententiam omni regnandi iure, poteſtate, & authoritate priuata fuerit (quantumuis ſupponamus, illius ſubditos vel ex defectu virium, vel alia de cauſa ſententiam illam exequutioni mandare, *ſuam*que *Maieſtatem* actu deponere, atque è Regni ſui poſſeſſione extrudere nequaquã potuiſſe) attamen non poterant *Sacerdotes illi* licitè *confiteri*, & *agnocere*, ſuam Maieſtatem *non minùs plena authoritate & ſuperioritate in eos, reliquoſque omnes huius Regni ſubditos, quàm vnquam è Maioribus*, ſeu Prædeceſſoribus *ſuis*, *quemlibet dominari.*

5. Neque etiam (tametſi *Ea* illo tempore *Regia* authoritate priuata non fuiſſet) poterant *Sacerdotes illi* licitè *profiteri* & *promittere*, *quòd non obſtante quauis authoritate* (& proinde etiam authoritate Papali Principes depriuandi) *vel excommunicationis quacunque ſententia*, *aut denunciata*, *aut denuncianda*, *vel in* ſuam Maieſtatem, *vel in ſubditos*, *qui à* Maieſtatis

tis ſuæ, *eiuſque Dominiorum defenſione non recederent*, Principem & Patriam, *illud eſſe officij exiſtimantes, defenderent, omnemque in cauſis temporalibus* Maieſtati ſuæ *obedientiam præſtarent, tenentes, neque ſe, neque Laicos Catholicos conſcientiæ lege aſtrictos eſſe, vt huic aut huius generis Cenſuræ cuilibet pareant.* Igitur ſi *Papa* vllo vnquam futuro tempore *Regiam Maieſtatem* deponeret, ſeu regnandi authoritate priuaret, ſubditiſque ſub pœna *Excommunicationis* præciperet, vt *ſuam Maieſtatem* in eo caſu non defenderent, neque illi obedientiam præſtarent, *Sacerdotes illi* profitentur, *neque ſe, neque Laicos Catholicos conſcientiæ lege aſtrictos eſſe, vt huic, aut huius generis Cenſuræ cuilibet pareant, ſed non obſtante quauis authoritate* (& proinde authoritate depriuandi) *vel Excommunicationis quacunque ſententia, aut denunciata, aut denuncianda, vt ſuprà*, Principem & Patriam *ſuam, illud eſſe officij ſui exiſtimantes, defenderent, omnemque in cauſis temporalibus* Maieſtati ſuæ *obedientiam præſtarent.*

6. Quòd ſi fortaſſe quempiam

ex istis *Sacerdotibus*, mutatâ iã suá sententia cũ statu rerum qui tunc erat, aut ob alium quemuis finem, præteriti sui facti, & *Protestationis* nunc pœniteret, atque ad se apud *suam Sanctitatem* excusandum, illique persuadendum, nunquam sibi in mentem venisse, protestatem Papalem Principes abdicandi denegare, iam affirmare non erubesceret, sibi tantùm fuisse animum in illa *Protestatione* agnoscere & profiteri, *suam Maiestatem*, fuisse tantùm *Reginam de facto*, seu *Eam*, regnasse tantùm *de facto*, non *de iure*, (præterquam quòd intollerandæ fraudis & æquiuocationis reum se proderet, atque egregium veteratorem ageret, & proinde pœnis condignis affici mereretur, eo quòd tum *Regiæ Maiestati*, eiusque *Consiliarijs* tam turpiter illudere, tum etiam, per tam execrandam dissimulationem, quæ ab omnibus vitanda est, præsertim *Sacerdotibus Catholicis*, qui synceritate Christiana cæteris prælucere debent, maximum *Religioni Catholicæ* scandalum, & *Ordini Sacerdotali* ignominiam afferre ausus fuerit) hæc eius

Re-

Responsio cum verbis ſuę *Protestationis* cohærere nullatenus poteſt.

7. Nam primùm obſerua *Præambulum* huiuſce *Protestationis*: *Cum* Sereniſſima Domina *noſtra dignata ſit* (aiunt Sacerdotes illi) *noſtram* Sacerdotũ Secularium, *qui natiui ſumus* Maieſtatis ſuæ *ſubditi*, *fidelitatem*, & *obſequium aliqua ex parte recognoſcere*: *Cumque* Ea, *pro Regia ſua Clementia*, *locupletem gratiæ erga nos*, & *miſericordiæ alicuius Arrham nobis* (*qui poſt ſuſceptum à primo Regni eius anno Sacerdotij gradum in Patriam reuerſi mortis ſupplicio è Regni legibus ſumus omnes obnoxij*) *dederit*: *Cumque* Eadem *contenta ſyncera tantùm obſequij noſtri profeſſione*, *quæ* Maieſtatem ſuam *de noſtra in* Regiam *eius* Perſonam, Coronam, Statum, & dignitatem, *fide ſecuram reddat*, *nihil requirat amplius*: *Nos quorum ſubſcripta extant nomina*, *ad* Maieſtatis ſuæ *pedes humillimè abiecti*, *ob hæc tanta beneficia* Celſitudini ſuæ *nos impenſiſsimè deuinctos agnoſcimus*, *eamque* Maieſtati ſuæ *hac in re fiduciam & ſatisfactionem parati ſumus lubentiſsimè dare*, *quam* Principibus

ſuis

suis Catholici Sacerdotes *quilibet possunt, vel debent polliceri.* Primò *itaque agnoscimus, & confitemur &c.*

8. Iam, an non, obsecro, intoleranda illusio & subsannatio esset, priori *Præambulo* rite perpenso, si aliquis illorum *Sacerdotum* affirmaret, sibi tantùm institutum fuisse, agnoscere & confiteri, *Maiestatem suam* tunc temporis fuisse *Reginam de facto*, & regnasse tantùm *de facto*, sed non *de iure?* An hæc tantùm erat fidelitas illa, quam *sua Maiestas* Secularium *Sacerdotum*, potiùs, quàm *Iesuitarum* recognouit? An etiam *sua Maiestas* illis verbis, [*& nihil requirat amplius, quam synceram tantùm obsequij nostri professionem, qua* Maiestatem suam *de nostra in Regiam, eius Personam, Statum & dignitatem fide securam reddat*] solum requirat, vt confiterentur, & agnoscerent, eam regnare tantum *de facto*, sed non *de iure?* Nonne etiam Catholici aliorum Regnorum *Sacerdotes* nullam aliam fiduciam, & satisfactionem suis *Principibus* dare possunt, quàm vt agnoscant & confiteantur, eos regnare *de facto*,

facto, sed non *de iure?* cùm tamen *Sacerdotes* illi affirmauerint, *se* Maiestati suæ *hac in re eam fiduciam & satisfactionem paratos esse lubentissimè dare, quam* Principibus suis *Catholici* Sacerdotes *quilibet possunt, vel debent polliceri.* Nemo dubitare poterat, *suam Maiestatem* etiam post sententiam depriuationis in eam à *Pio Quinto* denunciatam, regnasse *de facto*, atque hoc ipsum totus Christianus orbis, quin & hostes eius iurati, immo & ipsemet *Pius Quintus*, qui eam regnandi iure priuauit, denegare non poterat. Adeò vt, iuxta hanc *Responsionem* non minùs absurdam, quàm impudentem, *Sacerdotes* illi nullam aliam fiduciam, & securitatem de eorum fidelitate, & obedictia *suæ Maiestati* præstanda dederunt, quàm quiuis Regnum iniustè vsurpanti, seu per iniuriam occupanti dare potest: atq; per illa verba [*non minus plena authoritate & superioritate* suam Maiestatem *in eos, reliquosque omnes huius Regni subditos, quàm vnquam è Maioribus suis quemlibet, dominari*] nullam aliam dominandi authoritatem

&

& superioritatem *Ei* competere profitentur, quàm quæ cuilibet manifesto Tyranno, Tyranno inquam, non regimine sed potestate, seu Regnum iniustè, & in veri atque legitimi Hæredis iniuriam possidenti competat, quamque iurati *Eius* hostes, & qui *Eam* non veram & legitimè *Reginam* reputant, *Ei* compere etiam agnoscerent; nimirum, *Eam de facto* quidem regnare, sed non *de iure*.

9. *Secundò*, etiamsi quiuis agnoscere & confiteri verè possit, eum, qui Regnum vsurpat, seu iniustè possidet, regnare *de facto*, cùm possessio solummodò *factum* denotet, & absque omni *iure*, seu *authoritate* regnandi esse possit; Nemo tamen agnoscere & confiteri verè potest, eum, qui Regnum iniustè vsurpat aut possidet, vel qui regnat tantùm *de facto*, sed non *de iure*, habere regnandi, seu dominandi *authoritatem*, quæ *ius*, & veram ac legitimam *potestatem* denotat, & multò minùs tam *plena authoritate & superioritate*, *quàm vnquam è Maioribus suis quemlibet*, qui non solùm *de facto* regnarunt, sed etiam

etiam *de iure, in eum, reliquoſque, omnes Regni ſubditos, dominari.*

10. *Tertiò*, non ſolùm prædicta eorum confeſſio & agnitio, quòd *ſuæ Maieſtati* tunc temporis omni regnandi iure, poteſtate, & authoritate per *Papæ* ſententiam priuatæ, *non minùs plenam dominandi authoritatem, quàm vlli vnquam è ſuis Prædeceſſoribus competeret*, neceſſariò ſupponit, vt licita ſit, non eſſe in *Summo Pontifice* poteſtatem, *Eam* authoritate ſua Regia priuandi, verùm etiam, tametſi nulla depriuationis ſententia in *Eam* tunc temporis denunciata fuiſſet, ſatis conſtat, aliam etiam huius *Proteſtationis* clauſulam, in qua nimirum *Sacerdotes* illi *promittunt, idque officij ſui eſſe exiſtimantes*, Principem & Patriam *defendere, omnemque in cauſis temporalibus* ſuæ Maieſtati *obedientiam præſtare, non obſtante quauis authoritate*, (& conſequenter authoritate Summi *Pontificis Eam* depriuandi) *vel Excommunicationis quacunque ſententia aut denunciata, aut denuncianda in* Maieſtatem ſuam, *vel in omnes intra eius dominia natos, qui à*

Maie-

Maiestatis suæ, *eiusque dominiorum defensione non recederent*, &c. (& consequenter non obstante quauis *Excommunicationis* sententia in subditos huius Regni quouis futuro tempore denuncianda, eo quòd à *Maiestatis suæ*, vel tunc depriuatæ, vel in futurum denuo depriuandæ defensione non recederent, sed omnem illi in causis temporalibus obedientiam præstarent) *minimè tenentes se, aliosue Laicos Catholicos conscientiæ lege astrictos esse, vt huic aut huius generis Censuræ cuilibet pareant*, necessario etiam supponere, vt licita sit, non esse in *Romano Pontifice* potestatē *Eam* depriuandi, vt *Franciscus Suarez* arguens contra *Tertiam* Iuramenti Clausulam perspicuè demonstrat, cuius argumenti substantiam ad verbum referam, substituens tantùm loco *Regis* nostri *Serenissimi*, cum quo ipse ibidem loquitur, nomen *Sacerdotum*, de quorum *Protestatione* nunc agitur.

Suarez in Defensione &c. lib. 6. cap. 3.

« 11. Vt ergo nullus detur subter-
« fugiendi locus (ait *Suarez*) inter-
« rogo, an *Sacerdotes* illi intelligant,

sen-

" sententiam Papæ deponentis Re-
" ginam baptizatam, & quæ se
" Christianam esse profitetur, prop-
" ter crimina, posse esse iustam, an
" verò credant semper esse iniustam?
" Primum, vt credo, non asserent,
" aliàs rem turpissimam promitte-
" rent, nimirum non parere senten-
" tiæ iustæ, quæ secum affert iustum
" præceptum. Nam si sententia iu-
" sta est, etiam erit iustum præcep-
" tum, quo illa à subditis seruari
" mandatur, cùm aliter non possit
" exequutioni mandari. Item, si
" sententia depositionis lata à Papa
" contra Reginam esse potest iusta,
" erit etiam efficax, habet ergo effe-
" ctum pœnæ, quam imponit. Vn-
" de cùm pœna imposita per senten-
" tiam depositionis à Regno, sit ip-
" so facto priuare Reginam domi-
" nio, & proprietate Regni, senten-
" tia iusta efficaciter priuat Regno;
" ergo contra iustitiam & obedien-
" tiam debitam Papæ, est resistere ta-
" li sententiæ, & defendere perso-
" nam Reginæ contra exequutio-
" nem talis sententiæ; ergo qui pri-
mum

" mum credit, & nihilominùs hoc
" secundum iurat, rem planè iniu-
" stam, & iniquam iurat.

" 12. Et aliunde contradictionem
" inuoluit, velle seruare obedienti-
" am & fidelitatem alicui Reginæ, il-
" lud officij sui esse existimantes, tan-
" quam veræ Reginæ, quam scias
" per iustam declarationem, vel
" sententiam esse cum effectu à Reg-
" no depositam. Vt si Papa ipse exi-
" geret à fidelibus Iuramentum, quod
" non obstante quacunque sententia,
" vel declaratione depositionis eius,
" etiam propter crimen hæresis, à
" quocunque generali Concilio fa-
" cta, eum defendent in sua Sede,
" eique eandem obedientiam & fide-
" litatem præstabunt, Iuramentum
" esset iniquum, quia esset de re ini-
" qua, & Ecclesiæ, ac fidei contraria:
" Talis ergo est istorum Sacerdotum
" promissio, si dicta sententia con-
" tra Reginam iusta supponatur. Hoc
" ergo sine dubio non admittent Sa-
" cerdotes illi, neque etiam opinor
" adeo esse suarum rerum iniquos æ-
" stimatores, vt si concedant, senten-

" tiam

" tiam à Papa latam contra Reginam
" aliquam eſſe poſſe iuſtam, nihilo-
" minùs negent, contra Reginam
" Angliæ poſſe eandem tenere æqui-
" tatem. Quam enim maiorem im-
" munitatem, vel innocentiam in Re-
" gina Angliæ, quàm in alijs Regi-
" bus, qui Romanæ Eccleſiæ rebel-
" les, aut fidei deſertores & impug-
" natores fuerunt, allegare poſſunt?
" Aut licèt non agnoſcant, Regi-
" nam tunc temporis aliquid depoſi-
" tione dignum perpetraſſe, quo-
" modò ſciunt, eam nihil depoſitio-
" ne dignum in futurum committe-
" re poſſe, & nihilominus eorum
" promiſſio abſoluta & illimitata
" eſt, non obſtante quauis authori-
" tate, vel Excommunicationis qua-
" cunque ſententia denunciata aut
" denuncianda in ſuam Maieſtatem,
" vel in ſubditos intra illius dominia
" natos &c. Non eſt ergo dubium,
" quin fundamentum huius Pro-
" miſſionis ſit, talem ſententiam
" non poſſe eſſe iuſtam. Hinc ergo
" euidenter concludimus, Sacerdo-
" tes illos profiteri, ſententiam depo-

" ſitio-

" ſitionis contra *Reginam*, neque vali-
" dam, neque iuſtam eſſe poſſe: nam
" reuera hoc profitentur cùm iurant
" tali ſententiæ non parere, nec illam
" ſeruare.

" 13. Vnde vlteriùs concludi-
" mus, *Sacerdotes* illos profiteri, non
" eſſe in *Pontifice Poteſtatem* ad talem
" ſententiam ferendam, cùm non
" poſſint aliam rationem iniuſtitiæ in
" tali ſententia allegare aut prętende-
" re, quæ perpetua ſit, & huic parti
" ſuæ *Proteſtationis* fundamentum da-
" re potuerit; nam eorum *Proteſtatio*
" non loquitur tantùm de *ſententia*
" *iam denunciata*, ſed *abſolutè* de omni
" ſententia vel *denunciata* vel *denunci-*
" *anda* contra *Reginam*, aut ſubdi-
" tos &c. Comprehendit ergo om-
" nem ſententiam, ſiue feratur audi-
" ta parte ſiue non audita, ſiue prop-
" ter diſparem religionem, ſiue prop-
" ter quęcunque alia crimina, vel a-
" liam cauſam, & quocunque modo
" feratur, ſeruato ordine quem natu-
" ralis iuſtitia poſtularet, ſi poteſtas
" non deeſſet. Ergo iniuſtitia quam in
" illa ſententia *Sacerdotes* iſti ſuppo-
nunt

" nunt, vel verè ſupponere poſſunt,
" non eſt, niſi quia credunt, non
" poſſe à legitima poteſtate & iuriſ-
" dictione manare. Concludo igi-
" tur *Sacerdotes* illos profiteri, quod
" *Papa* non habeat poteſtatem & iu-
" riſdictionem ad ferendam contra
" *Reginam* depoſitionis ſententiam
" quacunque ex cauſa. Ita arguit
Suarez. Ex cuius Diſcurſu manife-
ſtum eſt, *Proteſtationem* horum Sa-
cerdotum, vt licita ſit, tectè & tacitè
continere abnegationem poteſtatis
Pontificiæ Reginam ob vllam cauſam,
crimen, prætextum, aut in quocun-
que caſu deponendi, non obſtanti-
bus quibuſcunque euaſionibus, &
tergiuerſationibus, effugijs, diuerti-
culis, aut alijs quibuſcunq; artificijs,
quæ aliquis ipſorum, ad ſe vel à periu-
rij crimine, vel à denegatione pote-
ſtatis *Pontificiæ Principes* priuandi ex-
cuſandum, excogitare vnquam po-
terit.

Exemplar *Petitionis*

quam D. *Ioannes Colletonus*, vnus ex primarijs Sacerdotibus Anglis *Archiepiſcopo Cantuarienſi* exhibuit, in qua quinque ad minùs annis, à tempore; quo Iuramentum *Fidelitatis* ſtabilitum eſt elapſis, priorem ſuam *Proteſtationem* denuo confirmat.

SI Dominatio *veſtra* Illuſtriſſima Regnique Patres, *præſentes cordis mei affectiones conſpicerent, & priſtinos meos mores, nec turbulentos, nec inofficioſos ante oculos ponere dignarentur, ſpero fauorem, quem poſtulaturus ſum, etiamſi extraordinarius videri queat, non tamen immeritò extendendum fore omni ex parte æſtimari poſſe.* Voluntaria, & libera Recognitio, *quam, dum* Regina *nuper demortua regnaret, feci, ſicut tunc ſufficiens erat, & nunc typis excuſa extat, ita promptitudinem agnitæ meæ fidelitatis, in omnibus cauſis Secularibus & ciuilibus, adhuc etiam teſta-*

teſtatur. Neque vnquam fui, iam ſum, aut vllo vnquam tempore, Dei gratiâ, aliter affectus ero, quàm, vt pari ratione Maieſtatem ſuam, *quæ nunc regnat, pro meo legitimo* Domino ſupremo *agnoſcam*; Illi *in omni politicâ adminiſtratione obtemperem, atque ſacratam eius* Perſonam, Coronam, & Dominia, *aduerſus quoſcunque hoſtes*, cuiuſcunque conditionis & vocationis fuerint, *totis quantùm poſſum viribus defendam. Commiſeratio, quam* Dominationem *veſtram* Illuſtriſſimam *ætatis meæ ſenectæ cum variis infirmitatibus ſociatæ capere, humillimè precor, eſt, ſe adeo* benignum Dominum *mihi oſtendere, vt me è carcere liberet, ſufficienti præhabita cautione, me coram veſtra* Dominatione, *eo tempore, quod* Dominationi *veſtræ viſum fuerit conſtituere, comparitu-rum. Euidens ſanè vitæ meæ procraſtinandæ medium, præter grauium impenſarum, quas ipſa mei in carcere detentio imponit, alleuamentum. Equidem in hac re Sollicitator in propria perſona libentiſſimè fuiſſem, niſi quòd audaciam maiorem æſtimem, odioſo meo ſtatu per-*

penſo, quàm abſque veſtræ Dominationis *ea in re beneplacito priùs intellecto attentare auſus fuerim.* 26. Martij 1610.

Veſtræ Dominationis Illuſtriſſimæ *maximè ſupplex Petitor.*

Ioannes Colleton.

Exem-

Exemplar

Declarationis & *Recognitionis*, quam *D. Thomas Greenæus*, Sacerdos Religioſus Ordinis *S. Benedicti* Congregationis Hiſpanicæ, & S. Theologiæ Profeſſor, exhibuit *Epiſcopo Dunelmenſi* primo die *Nouembris* 1619. de opinione quam tenet circa *Iuramentum* Fidelitatis.

Iacobi Houghtoni, aliàs *Thomæ Greenæi* opinio de *Iuramento* fidelitatis.

INprimis *ingenuè confiteor*, ſuam Maieſtatem *ex occaſione perfidiſſimæ illius Proditionis puluerariæ iuſtiſſimam cauſam habuiſſe proponendi omnibus ſuis ſubditis Catholicis Anglis* Iuramentum *ciuilis obedientiæ & fidelitatis*, Regibus *ex Rege* Dei & Naturæ *debitæ*, *idque in terminis efficaciſſimis, & peremptorijs, ad experimentum*

capiendum, quomodo in rebus, quæ ſpectant ad ſuam fidelitatem & obſequium erga Maieſtatē ſuam, *ſupremum eorum* Dominum, *ac* Regē *affecti maneant.*

Secundò, *mihi videtur, quòd* Eccleſia [a] *officium ſuum præſtitiſſet, ſi odioſæ illius ſulphureæ Conſpirationis diſplicentiam ſuam publica aliqua declaratione in deteſtationem illius oſtendiſſet, tum ad* Maieſtati ſuæ *ſatisfaciendū tum, ad Catholicos eius ſubditos in ſua fidelitate & obedientia illi debita confirmandos.*

Tertiò, *ingenuè confiteor, mihi veriſſimum videri, doctrinam illam, quæ occiſionem* Regum *per ſuos ſubditos, aut alios quoſcunque approbat, eſſe tum damnabilem, tum hereticam, etiam ſi ſit in caſu Apoſtaſiæ à fide, aut infidelitatis.*

Quarto, *ingenuè concedo, quòd mihi in priuato meo iudicio videatur, nihil in* Iuramento *contineri, quod iuxta Gloſſam, & Expoſitionem* Rogeri Widdringtoni *ab Anglis Catholicis* Maieſtatis ſuæ *ſubditis licitè ſuſcipi non poſſit, quantumuis aliqui tum eruditi*

[a] Per *Eccleſiam* intelligere, ſe ait Prælatos, & Paſtores Eccleſiæ, non cōiunctim, ſed diuiſim, iuxta illud Matth. 18 *Dic Eccleſiæ*, Et *ſi Eccleſiam non audierit &c.* Neque ex verbis illis concludi poteſt, *Eccleſiam* malè feciſſe, & officium ſuum non præſtitiſſe, ſed ſolùm quod optimè feciſſet, *& officium ſuum præſtitiſſet, ſi odioſæ illius* &c.

Quòd etiam Eccleſiæ *Prælati* ſæpè malè faciant, nec præſtent officium ſuum. Vide *Aluarum Pelagium* lib. 2. de *Planctu Eccleſiæ*, ar. 15.

diti tum Religioſi contrarium teneant.

Veruntamen *tres* ſcrupulos *circa* Iuramentum *iſtud inuenio, qui me mouent, vt longius conſiderandi & conferendi tempus, quò melius mihi ſatisfiat, exorem.*

Primus *eſt, circa* Romanum Concilium *ſub* Gregorio VII. & Concilium Lateranenſe *ſub* Innocentio III. *vtrùm aliquid in hac re definierint.*

Secundus *eſt, vtrùm mihi expediens fuerit, priuatum meum iudicium opponere duobus* Romani Pontificis Breuibus, *quæ aſſerunt*, multa in Iuramento contineri, quæ fidei & ſaluti apertè aduerſantur.

Tertius *eſt, vtrùm ego* Iuramentum *ſuſpiciendo ſcandalum non præbuero multis eruditis Sacerdotibus, & Catholicis, qui illud reſpuunt*, & reſpuendo, mortis [b], & amiſſionis bonorum ſuſcipere nolunt, ex legis præſcripto, ſed ſolùm propter eos Sacerdotes, quibus ingreſſus in Regnum ſub pœna capitali interdictus eſt, quam tamen mortis pœnam pro ſingulari *Regis* clementia effugere poſſunt, ſi nouum hoc *fidelitatis* Iuramentum ſuſcipere voluerint, nam alioquin mortis periculo, non propter iuſiurandum non præſtitum, ſed propter ingreſſum ſuum in Regnum ſub pœna capitali illis prohibitum, ſeſe exponunt.

b Dixit [*mortis periculo*] non quòd pœna mortis in eos, qui Iuramento conſtituta ſit;

rum periculo se exponunt.

Quibus consideratis, vt mihi longius aliquod tempus ad melius consultandum & conferendum assignetur, humiliter peto: Atque interim promitto ac voueo, me toto vitæ meæ tempore verum & fidelem subditum suæ Maiestati, & Successoribus *suis fore, atque ita permanere resolutum esse, non obstante quacunque* Romani Pontificis *sententia* Excommunicationis, Depositionis, *aut* Absolutionis *subditorum* suæ Maiestatis *à naturali eorum obedientia, illi, suisque Successoribus debita* &c. *pro quibus* Deum *instantissimè precor, vt, pro infinita sua misericordia, eos in omnibus suis actionibus, & operationibus speciali sua gratia dirigere, & assistere velit.*

Thomas Greenæus.

Anno-

Annotationes quædam *Authoris* in tres præfatos *D. Greenæi* Scrupulos.

1. SEd quod attinet ad tres illos *Scrupulos*, veriſſimè & propriiſſimè, ob exiguam vllius fundamenti probabilis apparentiam, quam habent, ab eo ſic dictos, *Obſeruandum* eſt, illis omnibus iamdudum à *Widdringtono* plenè ſatisfactum eſſe. Et quod attinet ad *primum Scrupulum*, eum clariſſimè commonſtraſſe, *primò*, nihil planè in Canone *Nos ſanctorum*, qui à *Gregorio VII.* in *Concilio* quodam *Romano* editus eſt, definitum fuiſſe, ſi regulas illas, quas ipſemet *Card. Bellarminus* ad veram definitionem de fide conſtituendam (de tali enim duntaxat iam ſermo eſt) requirit, attendamus: Neque in eo *Canone*, vlla de *Epiſcoporum*, qui tunc aderant, conſenſu mentio habetur. Et tametſi aliquid *de fide* in illo *facti* Decreto expreſsè definitum fuiſſet, cùm tamen probabile admodùm ſit, [a] *Romani Pontificis* definitiones in *Concilio* tantùm *Proninciali*, quale eſt illud

Bellar. lib. 2 de *Rom. Pont.* cap. 12.

[a] Vide inferiùs cap. 2. nu. 2.

illud *Romanum*, esse incertas, atque errori & falsitati obnoxias, doctrinam illam, quam definiunt, omnino certam & infallibilem, & contrariam omnino improbabilem efficere nullatenus valent.

2. *Secundò*, ex verbis illius *Canonis* colligi non posse, penes *Romanum Pontificem* esse potestatem Principes *supremos*, & *absolutos*, sed *inferiores* tantùm *Dominos*, & *Magistratus*, ex consensu & authoritate *Principum supremorum*, quibus subditi sunt, suis dominijs, & temporali Iurisdictione priuandi. Et propterea *Canonem* illum, *Nos sanctorum*, vel de illis tantùm, qui *Romano Pontifici* in temporalibus subiecti sunt, intelligendum esse, atque ita in eius duntaxat Territorijs obligandi vim habere; vel consensu, & authoritate *supremorum Principum* confirmatum fuisse, eaque de causa eos *inferiores Dominos*, & *Magistratus*, qui *Romano Pontifici* in temporalibus subiecti non sunt, etiam obligasse; ad eum planè modum, quo multi *Iuris Canonici* Interpretes similem Canonem,

Ad

Ad abolendam, de hæreticis, exponunt. Et quod attinet ad *Dictatus Papæ* quos *Leonardus* [b] *Leſſius* vrget, & cuidam *Concilio Romano* attribuit, in quibus expreſsè aſſeritur, *Quod Papæ liceat Imperatorem deponere*: *Quod à fidelitate iniquorum ſubiectos poſsit abſoluere*, idem *Widdringtonus* [c] monſtrauit, eos neque ad vllum *Romanum Concilium* pertinere, neque definitionem aliquam continere, ſed ſolùm declarationem opinionis Papæ *Gregorij VII.* qui opinatus eſt, talem authoritatem etiam quoad praxin ſibi competere, qua in re nihilominus, vtpote ante ea *ſecula inaudita*, ait *Onuphrius*, à Catholicis pijs & eruditis vehementer impugnatus eſt, ſicut etiam hiſce diebus pij & eruditi Theologi, præſertim qui *Thomiſtarum* doctrinæ adhæreſcunt, alijs *Summorum Pontificum* opinionibus de poteſtate quam prætendunt alijs in rebus diſpenſandi, plurimùm contradicunt. Et quòd non liceat tutâ conſcientiâ opinionem Papæ *Gregorij*, illique adhærentium, vtpote, in principio manifeſtè falſo fundatam,

b In *Diſputat. ſua Apologetica* adhuc ſuppreſſa nu. 52. & ſeq.

c In *Diſputat. Theologica* cap. 3. ſec. 1. nu. 4. & ſeq.

Onuphrius lib. 4 de varia creat. Rom. Pont.

tam, in praxi tanquam probabilem nunc ſequi, vide inferiùs cap. 9. num. 13. & ſeq.

3. *Tertiò*, Ad Concilium *Lateranenſe* ſub *Innocentio* 3°. idem *Widdringtonus* integro Tractatu aduerſus *Leonardum Leſsium* conſcripto copioſè reſpondit: vbi, iuxta doctrinam & expoſitionem inſignium, tum *Theologiæ*, tum *Iuris Canonici* peritorum, commonſtrat, huius *Concilij* decretum qualecunque ſit, neque comprehendere, nec comprehendere potuiſſe *Imperatores*, *Reges*, alioſue *Principes ſupremos*, qui in rebus temporalibus, in quibus *ſupremi* ſunt & ſoli *Deo* ſubiecti, ſub nominibus quibuſcunque generalibus, ſi materia ſit odioſa & pœnalis, non comprehenduntur, & multo minùs ſub generalibus nominibus *temporalis*, aut *principalis Domini*, aut *principalem Dominum non habentis* (ſicut neque in materia odioſa, & pœnali nomine *Monachi* intelligitur *Abbas*, neque nomine *Clerici*, *Sacerdos*, nec nomine *Sacerdotis Epiſcopus*) ſed generalibus illis nominibus *Domini temporalis*,

ralis, principalis, & *principalem Dominum non habentis, Duces, Comites, Conſules, Rectores,* ciuitatum, *Balliuos,* & eiuſmodi *inferiores Dominos* temporales, &, *Magiſtratus* denotari (ſicut etiam in Decreto *Imperatoris*, qui ijſdem planè generalibus *Domini temporalis, principalis,* & *principalem Dominum non habentis* nominibus vtitur, eiuſmodi *inferioris Domini*, & *Magiſtratus* ſolummodo intelliguntur) Et proinde iſtud *Lateranenſis Conſilij* decretum, vel tantùm in *Papa* territorijs, quorum *Princeps temporalis* eſt, obligandi vim habere, vel, ſi ad omnes omnino *inferiores Dominos*, & *Magiſtratus* extendendum eſſe velimus, authoritate & conſenſu *Principum ſupremorum*, quibus eiuſmodi *inferiores Domini*, & *Magiſtratus* ſubijciuntur, confirmatum fuiſſe.

4. Quod attinet ad *ſecundum* eius *Scrupulum*, de *Romani* Pontificis *Breuibus* idem *Widdringtonus* ijſdem etiam clariſſimè ſatisfecit. (quod etiam in *Capite vltimo* huius *Tractatus* manifeſtum fiet) atque monſtrauit, nullam eſſe inobedientiam, aut irreueren-

Widdring. in Diſput. Theologica cap. 10. ſec. 2. nu. 27. & ſeq. & fuſiùs in Confutatione Anglicana *Tho. Fitzherberti* 3. part. cap. 17.

uerentiam contra *Sedem Apostolicam* istis *declaratiuis Breuibus* non obedire, cum in falsis suppositionibus fundentur, vti ipse manifestè conuincit, atque non solùm bonis & pijs *Ecclesiæ Catholicæ Romanæ* filijs expedire, verum etiam omnino necessarium esse, vt eiusmodi *Breuibus* non pareant, præsertim quando aliquid præcipiunt, quod in *tertiæ personæ* quę est in possessione suæ famæ, & bonorum præiudicium vergit, qualis est prohibitio huius *Iuramenti*, quæ non solùm *suæ Maiestati*, eiusque subditis, sed supremæ etiam omnium aliorum *Principum* Secularium potestati graue præiudicium affert.

Widdring. in Præfat. *Respons. Apologet.* nu. 12. & seq. & copiosiùs in *Disputat. Theolog.* c. 10. sec. 3. *Salm.* tom. 8. *Tract.* 26. in Euang.

5. *Deniq;* ad *Tertium* eius *Scrupulum* de *Scandalo*, idem *Widdringtonus* copiosè admodùm respondit, & perspicuè ex doctrina etiam *Alphonsi Salmeronis* celeberrimi *Iesuitæ* commonstrauit, quòd si semel supponamus, *Iuramentum* istud esse licitum, & recta ac plena authoritate ministratum, vti *Tractatus* iste manifestè conuincit, nullum sit omnino *Scandalum datum*, Iuramentum istud susci-

ſcipere, ſed Sacerdotes, & Catholici illi, qui illud ſuſcipere abnuunt, grauiſſimum dent *ſcandalum*, *Cæſari*, quæ *Cæſaris* ſunt, non reddendo, & iuſtam quibuſcunque *Principibus*, & ſubditis occaſionem prębent ſibi perſuadendi, fidelitatem verè temporalem, & *Principibus* temporalibus iure diuino debitam, non poſſe, iuxta Religionis *Catholicæ Romanæ* principia, cum vera ſpirituali obedientia, quæ *Romano Pontifici*, alijſque ſpiritualibus Paſtoribus ex lege Chriſti debetur, ſimul conſiſtere, ex quo maximam quibuſcunque *Principibus* temporalibus iniuriam inferunt, perpetuæ inter *Regnum* & *Sacerdotium* diſcordię cauſas ſeminant, atque ita grauiſſimum Religioni *Catholicæ Romanæ* ſcandalum afferunt, & quantum in ipſis eſt, quoſcunq; *Principes* & ſubditos, qui Romanæ Religioni non adhærent, ab vlla penitus gratia, aut fauore profeſſoribus eiuſdem oſtendenda auertere ſtudent.

Præludia

quædam clara, atque ad nouum hoc *Fidelitatis* Iuramentum meliùs intelligendum perquàm neceſſaria.

Priuſquam ſingulas huius *Iuramenti*, in generalibus Regni Comitijs lege publica ſtabiliti, clauſulas explicandas aggrediar, quædam *Præludia* obſeruatione digna, quæque huic de *Iuramento* Controuerſiæ melius intelligendæ non exiguam lucem afferent, præmittenda eſſe duxi.

Primum *Præludium.*

1. *Imprimis* igitur, vt naturam & conditiones Iuramenti clariùs percipiamus, *Obſeruandum* eſt, in *Iuramento* quouis licito tres *Comites*, vt loquitur S. *Hieronymus*, ſeu conditiones neceſſariò requiri, nempe, *Iudicium*, *Iuſtitiam*, & *Veritatem*, iuxta illud *Ieremiæ* Prophetæ, *Iurabis viuit Dominus, in Veritate, & in Iudicio, & in Iuſtitia*, quæ ſi defuerint, ait idem *Hieronymus*, nequaquam erit *Iuramentum* (id eſt licitum) ſed *Periurium*.

in cap. 4. *Ierē.*

cap. 4.

Iu-

Iudicium ex parte iurantis potissimum requiritur, vt non assumat nomen Domini in vanum, id est, temere, irreuerenter, absque iusta & vrgenti causa, & non ritè perpendens, an id quod iurat, veritati & iustitiæ consonum sit, an dissentaneum. Nam sæpenumero contingere potest, vt materia *Iuramenti*, seu res quæ iureiurando firmatur, veritati & iustitiæ consentiens sit, & nihilominus nomen Dei absque causa aliqua vrgenti, aut necessaria ad illud confirmandum inuocetur.

Iustitia maximè in *Iuramento promissorio*, nempe in quo res aliqua in futurum facienda vel omittenda promittitur, necessaria est: Et propterea sicut nefas est rem iniquam promittere, ita multo magis iniquum est, promissionem illã iniquam *Iuramento* confirmare. Cæterum in *Iuramento* etiam *assertorio* iniustitia nonnunquam reperitur: vt si aliquis secretum prodat quod tegere ex iustitia tenetur, illudque verum esse *Iureiurando* confirmat, tunc enim verè iurat, sed secretum illud patefa-

ciendo iniuriam infert.

Veritas in quocunque *Iuramento* necessaria est; nam etiam in *promissorio* duplex *veritas* requiritur, *Vna* de præsenti (& in hoc naturam *assertorij* induit) quæ in hoc consistit, vt verba exterius prolata cum mente concordent; & proinde qui aliquid *Iureiurando* pollicetur, debet habere animum adimplendi suo tempore id quod promittit, alioquin falsum iurat: *Altera* de futuro, quæ in hoc consistit, vt sit concordia promissionis, & effectus etiam futuri; hoc est, vt existimet, effectum promissum adimpleri posse, atque etiam quantum in ipso est, reuera adimpleatur. Sed potissimùm in *Iuramentis assertorijs*, in quibus nempe de præsenti aut præterito verum aut falsum esse aliquid asseritur, *Veritas* locum habet. Et propterea sicut nemini fas est asserere, illud verum esse quod falsum esse putat, vel è conuerso, hoc enim expressè & formaliter *Mendacium* esset, aut asserere illud verum vel falsum esse, de quo dubitat verumne, an falsum sit, sic enim fal-

sum

sum dicendi periculo se exponeret, ita multo magis illicitum est talia *Iureiurando* confirmare.

2. Vnde *Periurium* à Theologis definitur, *Mendacium Iureiurando firmatum.* Quare sicut duplex *Mendacium* distingui solet, nimirum *materiale*, quando quis falsum dicit, quod verum esse existimat, & *formale*, quando quis scienter falsum dicit, aut verum, quod falsum esse existimat, (*Mentiri* enim, vt ait *S. Augustinus*, *est contra mentem dicere*, seu *aliud habere in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciare*) ita *Periurium* in *materiale*, & *formale* diuidi solet, cùm *Periurium* sit *Mendacium Iuramento firmatum*, & solùm inuocationem diuini nominis in testimonium illius quod dicitur, *Mendacio* superaddat. Et propterea quodcunque absque periculo *Mendacij* affirmari potest, etiam absque *Periurij* periculo potest *Iureiurando* firmari: Et sicut *falsitas*, quæ *formale Mendacium* constituit, non ex re ipsa vti est in se, seu à parte rei, sed prout est in mente

Magister, S. Thomas & alij in 3. sent. dist. 39.

Augustinus lib. 1 de Mendacio cap. 3.

asserentis, desumenda est, ita *falsitas*, quæ ad *formale Peruirium* requiritur, non accipienda est ex re ipsa quæ Iuramento confirmatur, prout est in se seu à parte rei, sed quatenus Iurantis menti atque opinioni repugnat.

3. *Veritas* enim *requisita in* Iuramento *consistit in eo*, aiunt *Gregorius de Valentia*, & *Sayrus*, *vt id*, in cuius confirmationem diuinum testimonium inuocatur, *sit verum saltem secundùm rationabile iudicium eius qui iurat: Est ergo animaduertendum*, aiunt *Dominicus Sotus*, & *Franciscus Suarez*, *quòd ad iudicandum verumne, an falsum sit Iuramentum, non tam ad rem iuratam, quam ad mentem Iurantis attendendum est.* Atque idcirco *quicunque aliquid* Iureimrando *asserit, eo modo quo sit, non est formaliter periurus*, aiunt, *Siluester*, & *Petrus Aragona*; Veluti, si quis suam opinionem, agnitionem, aut persuasionem de re aliqua *Iureiurando* confirmat, oportet eum moraliter certum esse, se ita opinari, agnoscere, & illud sibi persuasum esse; si iurat absolutè rem ita esse, pro certo existimare debet

Valentia tom. 3. dis. 3. 6. q. 7. p. 3.
Sayr. lib. 5. *Thesauri* cap. 4. n. 4.
Sot. lib. 8. de *Iustit.* q. 2. ar. 3.
Suarez tom. 2. de *Relig.* lib. 3. de *Iuramento* cap. 5.

Siluest. verbo *Periurium* q. 1.
Aragon. secunda secundæ q. 89. ar. 3.

bet ita esse, alioquin peierandi periculo se exponit; & tametsi re quidem vera aliter eueniat, quàm pro certo existimauerit, in foro tamen conscientiæ à *periurij* crimine excusatur, neque *formaliter*, sed *materialiter* tantùm *periurus* censendus est.

Præludium Secundum.

4. *Secundò*, vt meliùs intelligamus in quo sensu verba cuiuscunque *Legis*, & proinde istius Iuramenti *lege* publica stabiliti, accipienda sint, *Obseruãdum* est ex doctrina *Francisci Suarez* celeberrimi *Societatis Iesù* Theologi, *in omni lege humana primùm omnium expectandam esse verborum proprietatem, id est, propriam significationem; nam ex illa maximè sumenda est vera interpretatio legis, semperque præferenda est, nisi aliquid obstet. Quòd si vox aliqua plures habeat significationes proprias, & vsitatas, illa eligenda est, quæ menti & intentioni* Legislatoris *est magis accommodata: nam à* Legislatoris *mente, cum sit anima* Legis, *tam substantia, quàm efficacia* Legis *potissimùm pendet. Et propterea quacunque ratione de mente* Legislatoris *constare possit, secundùm illam maximè*

Suarez lib. 6. de *Legibus* cap. 1.

ximè erit lex interpretanda; cum illa sit vera interpretatio Legis, *per quam* Legislatoris *mentem & voluntatem assequimur. Verùm si* Legislatoris *meus & voluntas non satis innotescat, vt ex illius declaratione, vocis aut sententiæ ambiguitas determinari nequeat, tunc vtendum est regulis, quæ in omnibus sermonibus ambiguis, seu æquiuocis prudenter obseruari debent: videlicet, vt materia* Legis, *aliæque circumstantiæ attentè ponderentur; nam ex illis determinabitur facilè verborum significatio. Maximè verò* Legis initium *considerare, & cum illo sequentia coniungere necesse est, quia ad illud trahi debent sequentia, nisi aliquid impediat. Nam in* proœmio Constitutionis *solet causa finalis, & principaliter mouens contineri, quæque est medium moraliter certum ad voluntatem* Legislatoris *inuestigandam, & ex qua potissimùm verba, si ambigua sint, determinationem accipiunt.* Denique, *benigna & fauorabilis interpretatio, si nihil aliud obstet, semper præferenda est, si præsertim materia* Legis *sit* odiosa & pœnalis, *iuxta regulas illas* Iuris *approbatas,* Benigniùs

Leg. *Benigniùs* ff. de *Legibus.*

Leges

Leges interpretandæ ſunt, quò voluntas earum conſeruetur, *Et* odia reſtringi, fauores conuenit ampliari. *Immo quoties verborum proprietas induceret iniuſtitiam, vel ſimilem abſurditatem circa mentem* Legiſlatoris, *trahenda ſunt verba ad ſenſum etiam* improprium, *in quo* Lex *ſit iuſta, & rationabilis, quia hæc præſumitur eſſe mens* Legiſlatoris, *vt multis Iuribus declaratum eſt in* ff. tit. de *Legib.* *Nam* in ambigua voce *Legis*, *ait Lex*, ea potius accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret, præſertim cùm etiam voluntas *Legis* ex hoc colligi poſſit. *Quoniam præſumi non debet, mẽtem eſſe* Legiſlatoris *aliquod abſurdum, vel inconueniens præcipere, niſi contrarium euidenter conſtet.* Ita *Suarez.*

De Regulis Iuris *Canonici* in *Sexto.*

In Leg. *Ambigua.* ff. de *Legibus.*

5. Quam grauem igitur reprehenſionem merentur illi, qui cùm verba huius *Iuramenti*, etiam in propria & vſitata ſignificatione accepta, in ſenſu vero, commodo, atque benigno, iuxta *Legiſlatoris* mentem, interpretari poſſint, ea tamen cum tanto animarum, corporum, atque fortunarum tot Catholicorum Anglorum

discrimine? & non solùm in tam grauem *Regiæ Maiestatis*, quam vtpote solo *Deo* in temporalibus minorem reuereri, illique obedire tenentur, iniuriam & ignominiam, verùm etiam, in maximum Religionis *Catholicæ Romanæ* scandalum, ad sensus planè improprios, extraneos, & à mente *Legislatoris* alienos, quosque ipsimet falsissimos & absurdissimos esse conclamitant, contorquere student?

Præludium Tertium.

6. *Tertiò*, vt finis, & ratio huius *Iuramenti* clariùs percipiatur, *Obseruandum est*, *Regem*, *Regnique Ordines* in ipsomet *Legis initio* (ad quod cætera quæ sequuntur, ait *Suarez*, si nihil aliud impediat, trahi debent) rationem, causam finalem, & Intentionem, ob quam *Iuramentum* istud excogitauerint verbis disertissimis declarasse, videlicet, *vt experimentum facerent*, *quo animo* suæ Maiestatis *subditi*, *quod ad eorum fidelitatem & debitam obedientiam spectant*, *affecti maneant*; Cum enim ipsis exploratum esset, perfidos illos *nitrati pulueris* Proditores (qui omnes se *Catholicos Romanos* esse professi sunt) ad barbaram

ram ſuam,& planè diabolicam Conſpirationem à culpa excuſandam, poteſtati *Pontificiæ* de *Principum* Coronis & Capitibus in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi potiſsimũ ininxos eſſe, (vti ex eorum confeſſionibus ſatis conſtat) atque inſuper perſpectum haberent, plures alios ex *Romano-Catholicis* eiuſmodi proditorias machinationes, & impia principia, ex quibus profluunt, ex animo deteſtari, viſum illis fuit, ad eiuſmodi ſanguinarios *Aſſaſinos*, eorumque ſequaces meliùs detegendos, & reprimendos, talem *Iuramẽti* formulam excogitare, in quo ſubditi ſolam fidelitatem verè temporalem, & quibuſuis *Principibus ſupremis* (quamcunque Religionem colant) debitam profiterentur, nullamq; obedientiam verè ſpiritualem, & *Summo Pontifici*, aliiſque ſpiritualibus Paſtoribus exhibendam abnegarent. & nihilominus impia abominandæ illius Coniurationis principia palam & apertè abiurarent. Totam autem *noui* huius *Iuriſiurandi* ſubſtantiam (ſi D. *Bancrofio, Cantuarienſi Archiepiſcopo*, qui primus & præcipuus iſtius

istius *Iuramenti* Author, & adinuentor fuisse dicitur, credendum sit) ex *Protestatione* illa *tredecim Sacerdotum* superiùs memorata desumpserunt, mutata tantùm verborum formula, & quædam de prætensa *Romani Pontificis* in temporalibus potestate expressis verbis interserentes, quæ in eorũ *Protestatione* non explicitè continentur, sed tectè, tacitè, virtute atq; implicitè includuntur, & necessariò supponuntur. Nam quod ad rei substantiam attinet, parum aut nihil differunt, vt partim superiùs monstratũ est, & infrà ex singularum *Iuramenti* clausularum *Explicatione* clariùs apparebit.

Suprà in *Annotationibus* ad eorum *Protestationem* nu. 1. & seq.

7. Et non solùm *Regni Ordines*, in ipsomet *Legis initio* finem & rationem, ob quam *Iuramentum* istud excogitatum est, declararunt, verùm etiam *Rex* noster *Serenissimus* scriptis publicis sæpe sæpiùs expressimè affirmauit, *non in alium finem constitutum esse hoc* Iuramentum, *quàm vt subditi professionem faciant fidelitatis illius, ciuilisque, & temporalis obedientiæ, quam ipsa* Natura *omnibus sub*

In *Præmonit. sua* &c. & in *Apologia* pro *Iuramento* fidelitatis non longe à principio.

Regno

Regno naſcentibus (quamcunque Religionem amplectantur) *præſcribit, addita ſponſione, qua opem & auxilium, contra omnem vim debitæ fidei aduerſam, à ſubditis poſtulabat. Atque vt non modò inter fideles ſubditos, & perfidos proditores diſcrimen aliquod extaret, ſed etiam inter illos, qui quàmuis cæteroqui* Pontificiæ Religioni *fauerent, retinerent tamen impreſſa priſtini officij in cordibus veſtigia, & inter hos, qui eodem fanatico ſuperſtitionis zelo perciti, quo* Nitrati pulueris *Proditores, abriperentur extra debitas fidelitatis metas, crederentque, diſparem Religionis cultum iuſtiſsimum eſſe prætextum contra* Regem *coniurandi.* Et propterea, *cùm ea pars publicorum Ordinum, quam* inferiorem Domum Parlamenti *vocant, cùm primùm conciperetur* Iuriſiurandi *formula, clauſulam inſeruerat, qua* Pontifici Regem *excommunicandi poteſtas adimebatur, hanc clauſulam induci protinus, ac deleri voluit. Tanto ſtudio, tantaque ſolicitudine cauebam,* ait *ſua Maieſtas, ne quicquam hoc* Iureiurando *contineretur præter fidelitatis illixa, ciuiliſque &*

tem-

temporalis obedientiæ professionem, *quam* ipsa Natura *omnibus sub Regno nascentibus præscribit.* Dixit, *hoc Iureiurando*, *Etenim*, *vt* Iuramentum *Primatus*, ait Rex, *excogitatum est ad discrimen faciendum inter* Pontificios, *& eos qui nobiscum de Religione sentirent*, *sic hoc* Iuramentum *institutum est ad distinguendos* Pontificios, *qui in rebus ciuilibus obedientiam & obsequium retinent*, *ab ijs* Pontificiis, *qui sulphureæ* Proditionis *disciplinæ adhæresc unt.* Et rursus, *Huius Iurisiurandi vnus ille finis erat*, ait Rex, *vt Pontificij nequaquam turbulenti*, *cæteraque boni ciues ab eis dignoscerentur*, *quorum animis opiniones illæ furiosæ & sanguinariæ inhæserant*, *quæ Coniurationem* nitrati pulueris *pepererunt.* Similia tam in *Apologia* pro *Iuramento fidelitatis*, quàm in *Præmonitione sua Rex* noster *Serenissimus* non semel, sed sæpiùs repetit.

8. Atque hinc constat, inter opinionem, fidem, aut persuasionem *Regis*, atque inter mentem, voluntatem, seu intentionem eius, vt *Legislator* est, magnum discrimen constituen-

tuendum esse. Nam, quàmuis concedamus, *Regem* nostrum *Serenissimum* credere, sibique firmiter persuadere, *Romanum Pontificem* non esse, supremum totius Ecclesiæ Catholicæ Caput à Christo constitutum, & proinde nullam *Regem* excommunicandi potestatem ex *Christi* institutione illi competere, non tamen *Regis* intentio, voluntas, & institutum erat, vt illius subditi *in hoc fidelitatis Iuramento* illud profiterentur, aut aliquam spiritualem obedientiam *Romano Pontifici* debitam, quam quilibet *Romano-Catholicus*, iuxta *Religionis Catholicæ* principia, agnoscere tenetur, *vi istius Iuramenti* abnegarent; sed hoc tantùm illi institutum est, vti ex ipsiusmet declaratione manifestè constat, vt sola professio illius temporalis, & ciuilis obedientiæ, quam omnes subditi sub Regno nascentes (quamcunque Religionem profiteantur) iure diuino & naturali supremis suis, ac legitimis Principibus debent, *in hoc Iureiurando* contineretur. Ex quo clarissimè consequitur, quantumuis verba istius *Iu-*

ramenti,

rameuti, si nudè & solitariè accipiantur, abstrahendo à fine *Legis*, & declaratione *suæ Maiestatis* vniuerso orbi Christiano non obscure sed palam facta, aliquam propositionem dubiam, aut æquiuocam continerent (vti reuera non continent) quæ tam de potestate illa spirituali, quæ *Romano Pontifici*, cæterisque Ecclesiæ Pastoribus conuenit, abneganda, quàm de obedientia illa temporali, quæ *Principibus temporalibus* duntaxat debetur, recognoscenda, pariter intelligi posset, attamen, iuxta regulas *superiùs* ex doctrina *Suarez* assignatas, omnino oportere nos verba in eo sensu interpretari, in quo, iuxta mentem, intentionem, & finem *Legis*, atque expressam *Legislatoris* declarationem, sola obedientia temporalis à subditis postulatur: quoniam *illa est vera interpretatio legis* (ait *Suarez*) *per quam assequimur mentem* Legislatoris, *atque ex fine, & ratione* legis, *omnis verborum ambiguitas determinari debet, & est medium moraliter certum ad mentem* Legislatoris *inuestigandam, illa præsertim ratio, quæ*

Suarez lib. 6. de *Legibus* ca. 2. nu. 19.

in

in lege *exprimitur*, *quia tunc ratio* legis *eſt aliquo modo pars eius, nam in ea continetur & ſupponitur.*

9. *Quarto* obſeruandum eſt, tametſi Angli Catholici in principio, antequam noui iſtius *Iuramenti* finem, rationem, & materiam ſingillatim examinarunt, iuſtam aliquam cauſam habere potuerant ſuſpicandi, *Iuſiurandum* iſtud illicitum eſſe, & non ſolùm obedientiam ciuilem in ſe continere, verùm etiam *Regis*, *Regnique Ordinum* mentem fuiſſe, vt ſubditi, ſub prætextu obedientiæ temporalis agnoſcendæ, ſpiritualem aliquam obedientiam *Romano Pontifici* debitam abiurarent: tum quia *nouum*, & *inſolitum* eſt fidelitatis *Iuramentum*, & Poteſtatem *Romani* Pontificis *Principes ſupremos* deponendi negat, de qua poteſtate cæteri Principes Chriſtiani in conſuetis *Iuramentis*, quæ ſubditis ſuis ad temporalem eorum fidelitatem confirmandam proponunt, expreſſis verbis tractare non ſolent; tum etiam quia, ab ijs, qui *Romanam Religionem* odio habent, excogitatum eſt; Attamen nulla *Præludium quartum.*

nuda hæc ſuſpicio nemini ſufficiens ratio, & fundamentum eſſe poteſt, vt illud ſtatim abſque vlteriori diſcuſſione condemnet, (ſicut etiam nemo ob meram ſuſpicionem condemnari debet) ſed tantùm vt illud accuratè examinet, & ſi poſt debitum examen illud illicitum eſſe compererit, vt penitus reijciat; ſin autem neque à *veritate*, neque à *iuſtitia* alienum eſſe perſpexerit, vt illud admittat, atque legitima authoritate ſibi miniſtratum lubenti animo ex legis præſcripto ſuſcipiat. Verùm enimuero quicunque puro ac ſincero veritatem inueſtigandi, & tam *Regi*, quàm *Pontifici*, quæ ſua ſunt reddendi animo, huius *noui* & *inſoliti Iuriſiurandi* cauſam, finem, & materiam diligenter expendet, ſtatim procul dubio perſpiciet, illud à quibuſdam ex mera & nuda ſuſpicione reijci, ab alijs, ex cæco & præcipiti erga *Sedem Apoſtolicam* zelo, non æquè debitum ſuæ ſeruitutis erga *Regiam Maieſtatem* obſequium perpendentibus impugnari, & ab omnibus, qui illud improbant, immeritò, & abſque ſufficienti

ficienti ratione aut fundamento condemnari.

10. Etenim *nouo* huic & *insolito Iuramento* ex cogitando occasionem dedit *noua* illa & *inaudita* quorundam Catholicorum *Coniuratio sulphurea*, qui tam barbari facinoris immanitatem sub specie *Religionis*, & potestatis *Pontificiæ* tam de Capitibus, quam de Coronis *Principum* supremorum in ordine ad bonum spirituale disponendi, ab omni prorsus culpa immunem reddere prætendebant. Et proinde non mirum, quòd *Rex*, *Regnique Ordines*, vt à tam *noua* & *inaudita* immanitate sibi in posterum præcauerent, *nouum* hoc, & *insolitum* fidelitatis *Iusiurandum* excogitauerint, in quo subditi veram & perpetuam fidelitatem, & non solum ad tempus aut conditionatam, & ab alterius arbitrio dependentem promitterent, atque detestanda *tartareæ* illius *Coniurationis* principia pariter abiurarent. Et tametsi, qui *Iuramentum* istud à subditis præstandum lege publica sanxerunt, *Romanam Religionem* odio prosequantur, sibique firmiter

miter persuasum habeant, nullam *Romano Pontifici* potestatem, seu Iurisdictionem, nedum spiritualem, in *Regem*, Regnique istius subditos ex lege *Christi* competere, non tamen hoc illis institutum erat, vt suprâ ostendimus, aliquam potestatem spiritualem, quæ ex omnium Catholicorum sententia Papæ conuenit, in hoc *Iureiurando* denegare, sed sinceram tantùm illius obedientiæ temporalis, quam omnes Regni subditi (quamcunque Religionem amplexentur) *Regi* nostro *Serenissimo*, & consequenter non *Romano Pontifici*, debent, professionem postulare.

11. Et propterea, quod diligenter etiam *obseruandum* est, in hoc *Iuramento* non tractatur positiuè de vlla *Romani Pontificis* authoritate, cùm ad *Principes temporales* non spectet, quænam authoritas *Romano Pontifici* competat, declarare; sed *positiuè* de suprema *Regis* in temporalibus potestate tantummodò agitur, & solùm *negatiuè* de *Pontificis* potestate: neque in eo declaratur, quænam authoritas *Papæ* conueniat, sed solùm, quænam

nam authoritas illi non debeatur. Et quis, obſecro, adeo expers rationis eſſe poteſt, vt non videat, eos omnes, qui *expreſsè* aſſerunt, *Regem Iacobum* eſſe verum & legitimum huius Regni *Principem*, & *ſupremum* illius in temporalibus *Dominum*, illique omnem *Regiam* poteſtatem, authoritatem, & iuriſdictionem in Regnum iſtud, omneſque Regni ſubditos competere, conſequenter, *tacitè*, *implicite*, ſeu *virtute* eandem poteſtatem *Papæ* denegare? Quapropter ſi ſingulæ *noui* iſtius *Iuramenti* clauſulæ ritè expendantur, perſpicuum fiet, *Regem*, *Regnique Ordines* nihil aliud circa poteſtatem *Romani Pontificis*, aperte, nominatim, atque in expreſſis terminis, vti loquuntur, in eo denegare, quod non ſolùm in prænominata *tredecim Sacerdotum* Anglorum *Proteſtatione*, atque in principio illo, ſeu *maxima*, inferius ex *Petro Pithæo*, recenſenda, quam *Regnum Franciæ* ſemper vt certam approbauit, verùm etiam in alijs quibuſcunque *Iuramentis*, quæ cæteri *Principes abſoluti* ſubditis ſuis ad fidelitatem eorum

Infrà nu. 13.

confirmandam proponere solent, *tectè, tacitè, virtute*, atque *re ipsa* non denegetur. *Quicunque* enim sincerè, & ex animo recognoscit, *Regem* aliquem esse vnicum suum verum, legitimum, & *absolutum Principem*, atque *supremum* in temporalibus *Dominum*, (quod omnes *Principes absoluti* in consuetis fidelitatis *Iuramentis* à subditis postulare solent) necesse est, vt *tacitè, virtute*, & *consequenter* etiam profiteatur, *Romanum Pontificem* non esse *supremum* eius in temporalibus *Dominum*, & consequenter nullam in temporalibus potestatem in *Regem*, Regnique subditos, eidem *Pontifici* competere; atque proinde, neque *Regem* deponendi, aut de dominijs eius temporalibus, disponendi, &c. cum hæc omnia sint actiones verè temporales, ob quamcunque causam, crimen, aut finem, siue temporalem, siue etiam spiritualem fieri prætendantur.

12. *Quintò*, vt Lector clarè perspiciat principia aliqua certa, seu fundamenda firmissima, ob quæ *Catholici Angli* in hoc *Iureiurando* affirmare

mare licitè possunt, atque etiam tenentur, penes *Romanum Pontificem*, nullam esse potestatem, seu authoritatem *Principes supremos* deponendi, seu eorum depositionem practicè machinandi, *Obseruandum* est ex *Leonardo Lessio*, celeberrimo Societatis Iesu Theologo, *potestatem, quæ non omnino certa, sed probabilis, non posse esse fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, & iure suo ac dominio priuetur, sed talis potestas certissimè debet competere. Nullus enim Iudex potest irrogare pœnas adeo graues, aut condere decreta, quibus irrogentur, nisi constet illi talem potestatem concessam &c.* Ex quo manifestè consequitur, non posse *Summum Pontificem*, aut alium quemuis *Principem*, absque manifesta iniuria ob titulum, ius, seu fundamentum non certissimum, sed tantùm probabile, quodque in controuersia est positum, Regnum alterius *Principis* inuadere, illi bellum inferre, vel è Regno, aut re quauis alia, quam possidet, detrudere. Nam *certè* (vt rectè ait *Author* Tractatus Anglici de *Ecclesiastica & Regia potesta-*

Lessius in suo *Singletono* par. 2. nu. 38.

cap. 11. pag. 235.

te, quique celebris est Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor, tametsi sub nomine I. E. Theologiæ studiosi personatus) *sicut iniustitia est, aliquem è possessione illius territorij, aut domus extrudere, ad quod ius habet probabile, quia* melior est conditio possidentis, *ita aperta esset in* Romano Pontifice *iniustitia Regem aliquem Corona sua, & Regno priuare, qui ius probabile, simulq; possessionem habet.* Atque hæc est recepta Theologorum, & iurisconsultorum omnium doctrina, in ipso naturalis rationis lumine fundata, atque notissimis *vtriusque Iuris* regulis declarata, & confirmata, quòd non liceat sub prætextu iuris, aut tituli incerti atque in disceptatione positi quenquam inuadere, aut è sua possessione per vim extrudere, quoniam *in re dubia*, siue incerta *melior est conditio possidentis:* Et, *Cum sint iura partium obscura, fauendum est Reo potiùs quàm Actori.* Atque hoc est primum indubitatum principium, quod cum altero non minùs certò coniunctum euidenter conuincit, licitum esse cuiuis verè Catholi-

Victoria in *Relect.* de iure belli, nu. 29. & seq. *Vasquez* prima secundæ disput. 64. cap. 3. *Greg.* de *Valentia* secunda secundæ disp. 3. qu. 16. pag. 2. & *Adrianus* Papa cum multis alijs à *Valentia* citatis.

co

co potestatem *Summi Pontificis Principes supremos* deponendi non solùm nudè & simpliciter negare, vt fit in *secunda* Iuramenti *clausula*, si solam verborum vim & proprietatem respiciamus, verùm etiam doctrinam quæ eam tuetur, tanquam *impiam*, *damnabilem*, & verbo Dei repugnantem, atque in hoc sensu *hæreticam* abiurare, vt in *quarta clausula* asseritur.

Secundum igitur indubitatum principium est, magnam esse de hac potestate inter eruditos Catholicos controuersiam, & doctrinam à plurimis approbatam, atque idcirco verè probabilem, non competere *Romano Pontifici* vllam prorsus potestatem, seu authoritatem *Principes supremos* Regali sua dignitate, & authoritate priuandi.

13. Pro quo clariùs elucidando *Obseruandum* est *sextò*, *magnam fuisse semper* (vt expresè asserit *Ioannes Azorius* celebris Societatis Iesu Theologus) *inter Imperatores Reges*q; *ex vna parte, & ex altera parte inter Romanos Pontifices controuersiam*, *An* *Præludium* sextum.

Azorius tom. 2. lib. 11. cap. 5. qu. 8.

certis in cauſis ſit ius & poteſtas Summo Pontifici priuandi Reges Regno ſuo. Reges enim aliqui cum Summis Pontificibus de hac quæſtione ſæpiùs (etiam à tempore magni Concilij *Lateranenſis*) *contenderunt, dicentes, Regnum ſe à* Deo, *non à* Romano Pontifice *habere: & in his quæ ciuilia & temporalia ſunt*, Regiam poteſtatem *ſummam eſſe, & in his* Reges Pontificibus *minimè ſubijci, ſed in his ſolùm quæ ſacra, Eccleſiaſtica, & ſpiritualia ſunt*, Reges & Principes Summis *Pontificibus ſubeſſe, tanquam filios patribus, & tanquam oues Paſtoribus. Et conquerebantur multi, quòd* Gregorius *VII.* Henricum *eius nominis quartum* Germanorum Regem *execrationibus deuouiſſet, Regnique adminiſtratione priuaſſet.*

Trithem. in Chron. *monaſt. Hirſang.* ad annum 1106. *Almain.* de dominio *naturæ & Eccleſ.* in probat. ſecundæ concluſionis.

Et *de hac re certant Scholaſtici, & adhuc ſub Iudice lis eſt*, (ait *Ioannes Trithemius*, vir doctus, pius, & Ordinis S. Benedicti Religioſus, quique ab anno 1500. floruit) an Papa poſſit Imperatorem deponere.

Et *de ratione poteſtatis Laicæ* (ait *Iacobus Almainus*, Doctor Sorbonicus,

cus, quem *Ioannes Azorius* in *Classicorum* Doctorum numero reponit, quique tempore *Leonis* Papæ decimi non centum abhinc annis vixit) *posse pœnam ciuilem infligere, vt sunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. sed nullam talem pœnam ex institutione diuina infligere potest potestas Ecclesiastica, immo nec incarcerare, vt plærisque Doctoribus placet, sed ad solam pœnam spiritualem extenditur, vt puta Excommunicationem, reliquæ autem pœnæ, quibus vtitur, ex iure pure positiuo,* seu, vt loquitur *Ioannes Gerson,* ex concessione Principum *sunt.*

Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 14.

Gerson. de potest. Eccle. *consideral.* 4.

Et *Libertas Ecclesiæ Gallicanæ,* ait *Petrus Pithœus* nostri temporis Scriptor eximius, (quem *Antonius Possevinus* celebris Iesuita *virum verè eruditum, & antiquitatis sedulum perquisitorem* appellat) *huic potissimùm maximæ,* seu *axiomati, quod Francia semper vt certum approbauit, innititur, quod Regnum* Franciæ, *eiusque pertinentias dare in prædam* Papa *non possit, neque eo* Regem *priuare, aut alio quouis modo disponere: & non obstantibus quibuscunque monitionibus, Excommunica-*

nicationibus, vel Interdictis, quæ à Papa fieri possunt, Subditi tamen obedientiam pro temporalibus debitam Regi *præstare teneantur, neque in ea per* Papam *dispensari, aut ab ea absolui queant.* Quæ quidem *maxima*, seu *pronunciatum*, totam nostri *Iuramenti* substantiam in se continet, atque etiam primi illius *Articuli*, seu Iuramenti, quod tertia pars Ordinum Franciæ in generalibus totius Regni Comitijs *Lutetiæ Parisiorum* anno Domini 1614. celebratis *Regi Christianissimo* ab eo pro lege Regni fundamentali (vt verbis ipsorum vtar) confirmandum proposuit.

Vide *Articulum* illum intrà non longè à fine.

14. Atque vt nunc taceam plurima alia Catholicorum eruditione præstantium testimonia, qui potestatem *Principes supremos* deponendi *Romano Pontifici* negant, adeo clarum & manifestum est, magnam esse hoc tempore, & semper fuisse de hac re inter eruditos Catholicos controuersiam, atque esse doctrinam à pluribus approbatam, & consequenter verè probabilem, quòd nulla eiusmodi potestas *Principes* deponendi *Summo*

mo Pontifici competat, vt nemo vir doctus absque impudentissimæ temeritatis nota illud inficiari poterit: Et publica doctissimorum Catholicorum hinc inde scripta; *Decreta* Senatus *Parisiensis* aduersus Cardin. *Bellarmini*, *Adolphi Schulckenij*, & *Francisci Suarez* libros; *Primus* ille *Articulus* à tertia parte Ordinum Franciæ, in qua ex *ducentis* Deputatis *sex* tantùm *Protestantes* erant, *Regi Christianissimo* propositus: *Expostulatio* quorundam *Doctorum Parisiensium*, aduersus *Controuersiam Anglicanam Martini Becani* de potestate *Regis* & *Pontificis*, Facultati Theologicæ primo die Decembris 1612. exhibita, & 2. Ianuarij proximè sequentis confirmata, super quibusdam nefarijs propositionibus ex eodem libro collectis, in quarum numero hanc de *Romani Pontificis* potestate *Principes* deponendi reponunt: *Iudicium M. Georgij Frogerij*, Doctoris Sorbonici excerptum ex eiusdem *Frogerij* notis in librum de Ecclesiastica & Politica potestate in num. 18. & iamdudum typis mandatum, de eodem

Becani

Becani libro, quem *omninoſum, & portentoſum valde libellum appellat*, atque *aduerſus iſtam peſtilentiſſimam, furioſiſſimamque* Becani *buccam* (ſunt enim ipſius *Frogerij* verba) *opponit Barclaium*, & *Ioannem Barclaij*, & *Rogerum Widdringtonum* Catholicum Anglum, *qui firmiſſimis argumentorum machinis arietant, & exturbant propugnacula* Becani, Bellarmini Cardinalis, *alioqui Illuſtriſsimi, & de Eccleſia ſancta optimè meriti*, Marianæ *& ſimilium*: Et denique infinita alia doctiſſimorum noſtræ nationis Anglicanæ Catholicorum, non ſolùm qui Iuramentum ſuſceperunt, aut licitè præſtari poſſe arbitrantur, verùm etiam aliorum quamplurium quos recenſere longum eſſet, magnam eſſe de hac re inter Catholicos controuerſiam manifeſtè conuincunt.

En *Harangue* au tiers Eſtat pag. 98.

15. Quapropter *Card. Perronus*, veritate tam perſpicua compulſus, diſertis verbis fatetur, *ipſummet* Romanum Pontificem *illos Catholicos, qui doctrinam ſibi in hac parte contrariam tenent, in Francia tolerare*: *tolerare*, inquam, non ſicut publici fœnera-

neratores, meretrices, & alij manifesti peccatores in quibusdam regionibus maioris mali declinandi causa *tolerantur*, seu permittuntur, sed eos ad Sacramentorum perceptionem palam admittendo, quos profectò neque *Papa*, neque *Prælati Gallofranci* absque graui Religionis iniuria ita tolerare possent, si illi, qui *Romano Pontifici* Principes deponendi potestatem negant, vlla hæreseos, erroris, temeritatis, alteriusue mortiferi criminis labe, quæ illos Sacramentorum perceptione indignos redderent, aspergendi essent. Vnde idem *Card. Perronus* in *Replica sua* &c. hoc præsenti anno impressa verbis expressis affirmat, *ipsummet Card.* Bellarminum *Lectores admonuisse, se illud, quod proposuit de authoritate Papæ indirectè in rebus temporalibus, nequaquam proposuisse tanquam doctrinam de fide, & cuius vnam vel alteram partem sub pœna Excommunicationis, & Anathematis tenere oportet: Ob quam causam non debet hæc Disputatio*, seu Controuersia, ait *Perronus, impedire reunionem eorum, qui Ecclesiæ* Cap. 91. pag. 633.

Ecclesiæ reconciliari desiderant. Nam consequenter, iuxta hanc *Perroni* doctrinam, non debent illi qui iam sunt in Ecclesia, & alioquin pro Ecclesia multa incommoda sustinent, tenentes vnam vel alteram partem, ea de causa tanquam *Pseudo-Catholici* per Excommunicationem ex Ecclesia eijci, Ecclesiastica communione priuari, aut tanquam indigni à participatione Sacramentorum excludi. Expressa *Perroni* verba sunt hæc: *Il me suffira dire pour le surplus, qu'il aduertit luy-mesme* [Cardinal Bellarmin] *les Lecteurs, que ce qu'il propose de l'authorite indirecte du Pape aux choses temporelles, il ne propose point, comme doctrine de foy, & dont il faille tenir l'vn ou l'autre party sous peine d'Excommunication & d'Anatheme: au moyen dequoy ceste dispute ne doit point empescher la reunion de ceux qui se desirent reioindre a l'Eglise.* Denique *Martinus Becanus*, cum annis præteritis in hac Pontificis potestate propugnanda adeo efferbuerit, vt non sit veritus affirmare, *nihil esse certius, quàm quod Pontifex habeat authoritatem*

In *Controuers. Anglic.* cap. 3. q. 3.

tem

tem deponendi Reges si id meriti fuerint, & de hoc neminem dubitare, iam feruorem suum temperans in *Tractatu* suo de *fide* &c. hoc præsenti anno impresso solùm affirmat, *difficultatem esse, An iure Ecclesiastico vel per sententiam Pontificis possit aliquis Princeps Secularis priuari suo dominio, & iurisdictione propter hæresin*: cùm tamen in conclusione immediatè præcedenti, *certum esse* affirmauerit, eos iure *diuino & naturali de facto nullo dominio aut Iurisdictione priuari.* Cap. 15. qu. 4.

16. Vide etiam *Authorem* Apologiæ *Protestantium* pro Ecclesia Romana, nomine *Ioannis Brerelei* Sacerdotis Anglicè euulgatam, qui in *Præfatione* fusè ostendit, quantum doctrina hæc pro potestate Papali Principes deponendi sibi displiceat, eosque *tanquam extra modum excedentes* redarguit, *qui supremum Pastorem indebitis potestatis in temporalibus attributis nimiùm onerant*: Atque in proprio suo *Autographo* magis speciatim & expresse affirmauit, non competere *Summo Pontifici* potestatem de temporalibus disponendi, neque *directè*, A Sect. 19. ad finem.

directè, neque *indirectè*, quæ vltima verba placuit illi, qui librum illius typis mandauit, omnino prætermittere, de quo ipse cuidam Catholico fide digno plurimùm conquestus est. Atque ob eandem causam, quòd scilicet *Author* iste eruditus, quantum doctrinam hanc de potestate *Pontificis* de temporalibus disponendi detestaretur, copiosiùs in dicta *Præfatione* declarauerit, placuit etiam illi (vti verisimile est) qui *Apologiam* eius Latinè reddidit, totam *Præfationem* penitùs supprimere, & silentio præterire, quæ tamen *Præfatio* non exiguam totius operis partem complectitur, cùm totas *viginti quatuor Sectiones* & plus quàm *centum paginas* contineat, nec minùs, quin potiùs multo magis, quàm vlla alia eiusdem libri pars Latinitate donari mereatur. Sed ea est istorum temporum, proh dolor, infœlicitas, vt qui nunc dierum, libros componunt, non suis, sed Censorum verbis loqui non raro compellantur, vt inde non quid *Author* libri, sed quid *Expurgator* eiusdem sentiat, certò cognosci queat.

17.

17. Neque etiam, quod *obſeruatione* dignum eſt, poteſt quis licitè doctrinam aliquam vti *temerariam*, aut *improbabilem* condemnare, eo quòd ſuo proprio, aliorumue iudicio, *Sacris Scripturis*, *antiquis Patribus*, *Concilijs Oecumenicis*, *Canonibus*, & *praxi* Eccleſiæ, atque *rationibus Theologicis* repugnare videatur, ſi contrà pugnent alij viri docti, quiq; rem totam omniaq; argumenta hinc inde allata accuratè examinarunt. Alioquin liceret *Thomiſtis* condemnare *temeritatis Scotiſtas*, & *Scotiſtis Thomiſtas*, in quæſtione de immaculata *B. Virginis* Conceptione: liceret *Theologis Romanis* condemnare *temeritatis Theologos Pariſienſes*, & *Pariſienſibus Romanos*, in quæſtione de *Romani Pontificis* infallibilitate, & de ſuperioritate Papæ, & Concilij Generalis: liceret *Ieſuitis* condemnare *temeritatis Dominicanos*, & *Dominicanis Ieſuitas*, in quæſtione de auxilijs & efficacia gratiæ. Omnes enim iſti *Scripturas*, *Patres*, *Canones*, *rationes Theologicas*, & in duabus primisquæſtionibus, etiam Eccleſiæ *praxim* pro ſua doctrina confirmanda afferunt;

& consuetum est in eiusmodi quæstionibus Theologicis eius generis argumenta vtrinque producere. Sed *vera* probabilitas & improbabilitas, & de qua tam indocti, quàm periti absque vlla difficultate, aut conscientiæ anxietudine iudicare possunt non ex *principijs intrinsecis*, quæ viris indoctis cognita non sunt, sed ex *principijs extrinsecis*, nempe authoritate sapientum & peritorum, qui doctrinam aliquam approbare noscuntur, desumi debet. Idcirco *Aristoteles*, a quo cæteri Philosophi & Theologi in hoc non dissentiunt, per *principia extrinseca probabile* definiuit illud esse, *quod probatur a viris sapientibus*, seu doctis, & in arte, quam profitentur, peritis; veluti in re Philosophica illud est *probabile* quod probatur ab eruditis Philosophis; in re ad Medicinam spectante illud est *probabile*, quod probatur à peritis & exercitatis Medicis; in re ad ius humanum, siue Canonicum, siue Ciuile pertinente, illud est *probabile*, quod probatur à peritis Iuris vtriusq; consultis; & in re Theologica illud est *probabile*, quod à Catholicis eruditis,

Aristot. lib. 1. Topic. cap. 8.

&

& in ſacra Theologia peritis probatur. Quæ definitio *probabilis* in ipſo naturali lumine fundamentum habet, quandoquidem nulla eſt imprudentia, & proinde nec vlla timeritas, ſeu improbabilitas cuiuis in arte illa cuius eſt peritus, fidem adhibere, iuxta illud vulgatum, *Vnicuique in ſua arte perito credendum eſt.*

18. Atque hæc ſunt *duo* præcipua *fundamenta*, ſeu *principia*, ob quæ doctrina hæc pro poteſtate *Papali* Principes deponendi, ſeu eorum depoſitionem practicè machinandi, non ſolùm nudè & ſimpliciter negari, verùm etiam & abiurari, eo modo quo dictum eſt, tutâ conſcientiâ poſſit. Si enim *duo* hæc certiſſima ſunt, vti reuera ſunt; *Primum*, quòd aperta iniuſtitia ſit, aliquem è re illam quam poſſidet per vim extrudere, ob fundamentum ſeu titulum non omnino certum, ſed in controuerſia poſitum: *Alterum*, non eſſe certum ſpeculatiuè, ſed apud Catholicos eruditos controuerſum, & conſequenter *probabile*, quod *Papa* nullam *Principes* deponendi poteſtatem habeat, ne-

ceſſariò conſequitur, non minùs illicitum eſſe, iureiurando affirmare, nullam eſſe in *Summo Pontifice* poteteſtatem, quod ad praxim attinet, *Principes* deponendi, quàm illicitum ſit iurare, quòd non ſit in *Summo Pontifice* vlla poteſtas legitima apertam iniuſtitiam perpetrandi. Sed plura de hac *probabilitate* vide inferiùs. cap. 9. nu. 9. & ſeq.

19 *Septimò*, & vltimò *Obſeruandum* eſt, quid ille, qui hoc *Iusiurandum* ſuſcipit, profiteri & iurare teneatur *ex vi verborum*, & iuxta planum, & communem eorundem verborum ſenſum & intellectum, ad quem *Septima* Iuramenti *clauſula* Iurantem omnino aſtringit, & quid *ex vi materiæ* profiteri, & iurare tutâ conſcientiâ poſſit: Hæc enim diſtinctio ad aliquas huius *Iuramenti* clauſulas melius intelligendas non parum conducet, quandoquidem non rarò contingere poteſt, vt *ex vi materiæ* illud licitè iurari queat, ad quod tamen iurandum ille qui iurat *ex vi verborum* nequaquam obligatur. Exempli gratia, ſi alicui præcipiatur, vt

Iura-

Iuramento confirmet, quid ſentiat, opinetur, agnoſcat, ſibique perſuaſum habeat de re aliqua, cuius tamen aliunde certiſſimam notitiam habet, *ex vi verborum*, & præcepti ſibi impoſiti tantùm iurare tenetur, ſe ſentire, opinari, agnoſcere, & perſuaſum habere, rem ita eſſe, & nihilominus *ratione materiæ*, quæ illi certa eſt, ſimpliciter, abſolutè & pro certo rem ita eſſe tutò iurare poterit. Similiter, ſi alicui præcipiatur, vt propoſitionem *conditionaliter diſiunctiuam*, (quæ nimirum liberam relinquit poteſtatem eligendi quam *diſiunctionis* partem quis voluerit, ſeu conditionem inuoluit, vt hanc, vel illam ſi velit, *diſiunctionis* partem eligere poſſit) abiuret tanquam *falſam* & *hæreticam*, *ex vi verborum* vnam tantùm *diſiunctionis* partem tanquam *falſam*, & *hæreticam* abiurare tenetur, quoniâ vt eiuſmodi propoſitio *diſiunctiua*, vtpote *Copulatiuæ* æquipollens, *falſa* ſit, & *hæretica*, ſatis eſt, vnam tantùm illius partem *falſam* eſſe, & *hæreticam*, nonnunquam tamen *ratione materiæ*, quando vtraque pars *diſiun-*

ctionis eſt *hæretica*, vtramque illius partem tanquam *hæreticam* abiurare licet, tametſi *ex vi verborum* vtramque partem vt *hæreticam* abiurare non teneatur. Veluti hæ propoſitiones, *Quiuis Chriſtianus licitè poteſt*, ſeu, quod idem eſt, in licita cuiuſuis Chriſtiani poteſtate eſt, *Chriſtum Dominum amare, vel illius odium habere: Poteſt quilibet Epiſcopus, ſeu in licita eius poteſtate eſt, hæreticum notorium & contumacem ſibi in ſpiritualibus ſubiectum excommunicare aut occidere*, falſæ ſunt, & *hæreticæ*, cùm tamen ſatis conſtet, vnam *diſiunctionis* partem *falſam* & *hæreticam* non eſſe. At vtraque pars iſtius propoſitionis, *In licita cuiuſuis Chriſtiani poteſtate eſt, Chriſtum execrari, aut illius odium habere, falſa* eſt, & *hæretica*, atque ita *ratione materiæ* vtraque pars tanquam *hæretica* abiurari poteſt, quantumuis *ex vi formæ*, & *verborum*, vt integra propoſitio licitè abiurari queat vt *hæretica*, vnam tantum illius partem vt *hæreticam* abiurare ſufficiat. Quomodo autem hæc diſtinctio accommodari poſſit *quartæ* huius Iuramenti

ti *Clauſulæ*, quæ propoſitionem *conditionaliter diſiunctiuam* includit, & vtrùm doctrina de *Principibus*, qui per Papam excommunicati ſunt, aut depriuati, non ſolùm *occidendis*, verum etiam *deponendis*, tanquam *hæretica* licitè abiurari poſſit, infrà in *explicatione* illius *Clauſulæ* clariùs apparebit.

His obſeruatis, non erit difficile, ſingulas huius *Iuramenti* Clauſulas in veriſſimo & commodiſſimo ſenſu, neque à mente Legiſlatoris alieno, vti ſtatim videbitis, interpretari.

CAPVT Primum.

Prima Iuramenti *Clauſula*, Eiuſdemque *Explicatio.*

EGo A.B. *verè & ſyncere agnoſco, profiteor, teſtificor & declaro in conſcientia mea coram Deo & mundo, quòd ſupremus Dominus noſter Rex* IACOBVS, *eſt legitimus & verus Rex huius Regni, & omnium aliorum* Maieſtatis ſuæ *dominiorum & terrarum.*

1. *Prima* hæc *Clauſula* (quæ totius *Iuramenti* baſis & fundamentum

eſt, & ex qua reliquæ omnes *Clauſulæ* tanquam ex fonte quodam, aut radice conſurgunt) adeo clara & manifeſta eſt, vt nemo vir doctus, & erga *ſuam Maieſtatem* in ijs, quæ ad fidelitatem illi debitam ſpectant, bene affectus, vllum contra eum ſcrupulum, aut dubitationem meritò concipere poſſit; Adeo vt ipſemet *Robertus Parſonius* Anglus Ieſuita, tametſi contra nonnullas alias *Iuramenti* clauſulas quaſdam exceptiones friuolas oppoſuerit, confidenter nihilominus affirmare non pertimeſcat, [a] *neminem eſſe qui profiteri dubitet, ſupremum Dominum noſtrum* IACOBVM *eſſe verum Regem, & legitimum Dominum omnium ſuarum Dominiorum; eo quòd quilibet Catholicus Anglus lubenti animo iurabit, & profitebitur omnes illas* Iuramenti *partes & clauſulas, quæ ſpectant ad ciuilem, & temporalem obedientiam* ſuæ Maieſtati *debitam, quem profitetur eſſe verum & legitimum ſuum* Regem, *& ſupremum Dominum omnium ſuarum Dominiorum*: Et *Martinus Becanus*, inſignis etiam Societatis Ieſu Theologus, *Et mihi quidem*, inquit,

[a] In *Tractatu* Anglicano cui Titulus eſt, *Iudicium cuiuſdam Anglicatholici* de Apologia *pro Iuramento fidelitatis*. part. 1. nu. 22. pag. 13.

inquit, *certum eſt, non omnes* Iuramenti *partes ſeu propoſitiones falſas eſſe. Nam hæ veræ ſunt:* 1. *quòd* IACOBVS *ſit legitimus Rex Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ:* 2. *quòd in iiſdem Regnis ſit ſupremus Dominus in temporalibus.*

Becanus in controuerſia Anglicana cap. 3. pa. 102. *primæ Editionis.*

2 *Imprimis* igitur, ſi *finem* huius *Iuramenti* (quod ideo excogitatum eſt, vt ſubditi ſynceram temporalis ſuæ fidelitatis *Regi* debitæ profeſſionem faciant, atque vt *Catholici fideles* non quidem à *Proteſtantibus*, ſed à *perfidis Catholicis* dignoſcantur) expreſſam *ſuæ Maieſtatis* declarationem, & regulas in *ſecundo* & *tertio* Præludio ſuperiùs traditas diligenter expendamus; nimis perſpicuum eſt, verba illa [*Supremus Dominus noſter*] non de *Primatu Regis* in cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus, (vti quidam vanè obiiciunt) ſed tantùm de *ſuprema* eius in rebus ciuilibus & temporalibus *poteſtate* intelligenda eſſe.

3. *Secundò* etiam manifeſtum eſt, quòd tametſi *ex vi verborum*, & iuxta planam & communem eorundem ſignificationem (ad quam *Septimæ* Iuramenti *Clauſulæ* Iurantem aſtringit)

git) ſolummodò teneamur agnoſcere & profiteri, *Regem Iacobum* eſſe verum & legitimum huius Regni, cæterorumque Maieſtatis ſuæ Dominiorum *Regem*, neque ex vi verborum teneamur profiteri, eum eſſe eorundem *Dominum ſupremum*: tum quia verba illa [*Supremus Dominus noſter*] ex parte tantum ſubiecti, & non ex parte prædicati ponuntur, & proinde *ex vi verborum* nequaquam affirmantur. (Sicut etiam qui *Romanum Pontificem Sanctiſſimi*, & *Beatiſſimi* titulo inſigniret, non ideo eum *Sanctiſsimum*, & *Beatiſsimum* eſſe affirmaret, niſi Epitheta illa ex parte prædicati ponerentur:) tum etiam quia, ſi *vim verborum* reſpiciamus, verba illa [*Supremus Dominus*] non idem penitus quod verba hæc, [*verus & legitimus Rex,*] ſignificant: quandoquidem contingere poteſt, vt aliquis ſit *verus* & *legitimus Rex* alicuius Regni, non tamen *ſupremus* illius Regni in temporalibus *Dominus*. Veluti, ſi *Imperator* Ducem *Saxoniæ* ad Regiæ dignitatis culmen eueheret, eſſet quidem *Rex verus*, & *legitimus*, non

non tamen *ſupremus* illius Regni *Dominus*, quandoquidem *Imperatori* tanquam feudatarius quadamtenus ſubiectus eſſet. Verùm enimuerò, cùm notum ſit, *verum* & *legitimum* magnæ Brittanniæ *Regem* eſſe etiam eiuſdem *Dominum ſupremum*, *ratione materiæ* poſſumus quidem, & ſi id à nobis *Rex* poſtulauerit, omnino tenemur profiteri, & iurare, *Regem Iacobum* non ſolùm eſſe *verum* & *legitimum* huius Regni *Regem*, verum etiam eiuſdem *Dominum ſupremum*: Atque in hoc ſenſu *tredecim* illi *Sacerdotes* in ſua *Proteſtatione*, & *Thomas Greenæus* in eius *Declaratione*, & Author *Apologiæ Proteſtantium pro Romana Eccleſia*, verba illa [*Supremum Dominum*] intellexerunt.

4 Neque alicuius momenti eſt quod quidam obijciunt, nempe *Reges Angliæ* eſſe *Romani Pontificis* Vaſſallos, & tanquam feudatarios illi in temporalibus ſubiectos, & proinde *Romanum Pontificem*, & non *Regem Iacobum* eſſe *ſupremum*, & abſolutum huius Regni in temporalibus *Dominum*. Nam etiamſi aliquis abſurdè admit-

admitteret, poſſe pro titulo ſupremi temporalis dominij, quod *Romani Pontifices* ex aliqua antiquorum Angliæ Regum conceſſione illis facta ſupra hoc Regnum habere prætendunt, probabile aliquod fundamentum produci, vti reuera non poteſt, (cùm ſatis perſpicuum ſit, non eſſe in *Regis* poteſtate Regnum ſuum abſque libero ipſiuſmet Regni conſenſu, alteri, cui iure hæreditario non debetur, donare, aut in temporalibus ſubiectum facere, neq; vllam *fundamenti probabilis* aliquo inſtrumento authentico nixi ſpeciem aut colorem afferri poſſe ad probandum, Regnum Angliæ eiuſmodi donationi vnquam conſenſiſſe.) Attamen cùm certum ſit, nullam *probabilem poteſtatem*, aut titulum *poſſe eſſe ſufficiens fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, aut aliquo ſuo iure, dominio, aut alia quauis re, quam poſsidet, priuetur, ſed talis poteſtas*, vel titulus *certiſsime*, & abſque omni controuerſia debeat competere, (vt ſupra in *Quinto Præludio* oſtenſum eſt) manifeſtè conſequitur, quòd non obſtante quouis

quouis *probabili titulo*, qui prætendi poteſt, licitum ſit cuiuis iſtius Regni ſubdito profiteri & iurare, *Regem Iacobum* non ſolùm eſſe *verum* & *legitimum* huius Regni, cæterorumq; eius Dominiorum *Regem*, verùm etiam eſſe *ſupremum* eorundem in temporalibus *Dominum*.

CAPVT Secundum.

Secunda Iuramenti *Clauſula*, Eiuſdemque *Explicatio*.

ET *quòd* Papa *nec per ſeipſum, nec per vllam authoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ, vel per vlla alia media cum quibuſcunque aliis aliquam poteſtatem vel authoritatem habeat* Regem *deponendi, vel de aliquibus* Maieſtatis ſuæ *Regnis aut Dominijs diſponendi, vel alicui Principi extraneo, ipſum damnificare, aut Terras ſuas invadere authoritatem concedendi, vel vllos ſubditorum ſuorum ab eorum* ſuæ Maieſtati *ſubiectione & obedientia exonerandi, vel vllis eorum licentiam aut facultatem dandi, Arma contra ipſum gerere,*

gerere, tumultus concitare, vel aliquam violentiam aut damnum Maiestatis suæ Regiæ personæ, Statui vel Regimini, aut aliquibus Maiestatis suæ subditis intra sua Dominia offerre.

1. Hæc *Clausula*, si præcedentes *observationes* semel supponamus, nullam omnino difficultatem in se continet, tametsi quis admitteret, *immediatum* istius *Clausulæ* obiectum, seu, quod immediatè in ea *ex vi verborum* iurare obligamur, non solum esse synceram nostram agnitionem, professionem, & persuasionem, quòd *Papa nullam habeat potestatem Regem deponendi, &c.* sed *absolutè*, & *simpliciter*, quòd talis potestas illi non competat. Cùm enim satis constet, totum istius *Clausulæ* tenorem ad praxim referri, vtputa ad *deponendum, disponendum, damnificandum, inuadendum, ad arma gerendum, tumultus excitandum, violentiam & damnum offerendum, & subditos ab eorum subiectione, & obedientia exonerandum*; & certum etiam sit, esse doctrinam à pluribus eruditis Catholicis, & qui omnia argumenta hinc inde sedulò examinarunt,

minarunt, approbatam, quòd *Papa* Principes *ſupremos* depriuandi, vel de temporalibus eorum dominijs diſponendi nullam poteſtatem vel authoritatem habeat, hinc perſpicuè conſequitur, adeo clarum & manifeſtum eſſe, poſſe quemcunque, ſiue *Regi* noſtro *Sereniſsimo* ſubditus ſit, ſiue non ſit, quamcunque opinionem circa poteſtatem Papalem *Principes* depriuandi *ſpeculatiuè* amplectatur, tam tutâ ac ſecurâ conſcientiâ certò profiteri ac iurare, quòd *Papa* nullam habeat poteſtatem, vel authoritatem *Regem* deponendi, ſeu diſpoſitionem eius, aut aliud quodcunq; in hac *Clauſula* comprehenſum, practicè machinandi, ſicut clarum & manifeſtum eſt, poſſe quemcunque tutâ conſcientiâ certò profiteri & iurare, quòd *Papa* nullam poteſtatem vel authoritatem habeat apertam iniuſtitiam perpetrandi, & quòd *in cauſa dubia*, incerta, ſeu in diſputatione poſita, *melior, & potior ſit conditio poſſidentis*, vt in *Quinto Præludio* fuſiùs explicatum eſt.

2. Neque etiam *Principes temporales*,

porales, aut alius quiſpiam, qui rem alicuius precij poſſidet, multùm ſunt ſoliciti, quid viri eruditi (qui pro ingeniorum ſuorum acumine veriſimilem aliquem dubij, & incerti tituli, ſeu fundamenti prætextum facili negotio excogitare poſſunt) de eorum Iuribus *ſpeculatiuè* tantùm in Scholis diſputandi gratia diſceptent & contemplentur, dummodo in praxi, non obſtantibus eiuſmodi ſpeculationibus, ſe è domo illa, Ciuitate, Regno aut alia quauis re quam poſſident, per vim nullatenus extrudendos eſſe, ſecuri reddi queant. Et profectò miſerabilis eſſet conditio eorum omnium, qui aliquid momenti poſſident, & maximè *Principum*, ſi ſub iuris, fundamenti, tituliq; prætextu, quem viri aliqui eruditi *ſpeculatiuè* approbarent, integrum eſſet eorum profeſſiones inuadere, priuſquam legitimus & indubitatus Iudex controuerſiam terminaret. Cui incommodo vt meliùs caueretur, omnes gentes ipſomet naturalis rationis lumine illuſtratæ in hoc indubitato principio pariter conſenſerunt,

runt, Quòd apertiſſima ſit iniuſtitia aliquem è re illa, quam indubiè poſſidet, ſub prætextu vlliùs tituli, iuris, poteſtatis, aut fundamenti, quod non omnino certum eſt, ſed in controuerſia poſitum, deturbare, donec *legitimus*, & *indubitatus Iudex* controuerſiam terminaret. Dixi [*legitimus & indubitatus Iudex*] Nam ſi dubium ſit, incertum, aut in quæſtione poſitum, an aliquis ſit *Iudex legitimus* ad cauſam illam definiendam, ſententia eius definitiua non poſſet eſſe ſufficiens fundamentum litem dirimendi, illique finem vltimum imponendi. Ex quo apertè conſequitur, *Romanos Pontifices* non eſſe legitimos, idoneos, aut competentes Iudices, ad hanc controuerſiam de poteſtate Papali *Principes* deponendi, abſq; *Concilij Oecumenici* conſenſu & authoritate dirimendam; quandoquidem magna eſt inter eruditos Catholicos controuerſia, atque doctrina à plurimis approbata, *Romanum Pontificem* non eſſe *Iudicem legitimum*, & *competentem* ad vllam omnino doctrinam (& multò minùs quę ad propriæ ſuæ

poteſtatis accretionem, & *Regiæ Maieſtatis* diminutionem ſpectat) abſque veri & indubitati *Concilij Generalis* approbatione certò & infallibiliter definiendi. Ita enim ſentiunt *Adrianus Papa*, Cardinalis *Cameracenſis*, Cardinalis *Ponormitanus*, Cardinalis *Florentinus*, Magiſter *Panormitani*, *Ioannes Patriarcha Antiochenus*, *Alphonſus Toſtatus*, Epiſcopus Abulenſis, *Ioannes Pariſienſis*, *Ioannes Gerſon*, *Ioannes Maior*, *Iacobus Almainus* à *Widdringtono* relati. Eandemq; doctrinam *Theologi Veneti*, *Nauarrus*, *Ioannes Mariana* Societatis Ieſu Theologus, exiſtimant probabilem, vtpote, vt verbis vtar *Marianæ*, *à multis viris prudentibus, & grauibus eruditione maxima approbatam*: Et doctiſſimus *Victoria* eam eſſe *probabilem* verbis expreſſis affirmat. Et proinde, tametſi *Romanus* quicunq; *Pontifex* hanc quæſtionem abſque *Concilio Generali* definire poſthac attentaret, vt hactenus nemo fecit, eius tamen definitio, cùm poteſtati tam du-

In *detectione* calumniarum D. *Schulcken* §. *Septimo. Theologi veneti* in Tractatu *de Interdicto &c.* propoſitione nona. *Nauar.* in cap. *Nouit.* de Iudicijs not. 3. nu. 84. *Mariana* in libro *de Rege* lib. 1. cap. 8 qui liber publico *Societatis Ieſu* examine eſt approbatus. *Victoria* Relect. 4. de *poteſt. Papæ & Concil.* propoſitione 3.

biæ,

biæ, incertæ, & in diſputatione poſitæ innitatur, nullatenus controuerſiam terminaret, nec poſſet eſſe ſufficiens fundamentum immediatè aliquem puniendi, aut è re illa quam poſſidet, detrudendi, & multo minùs in *Principum* Coronas & Capita practicè machinandi.

3. Veruntamen oportet ſanè *Principes Chriſtianos* diligenter proſpicere, ne iura & tituli dominiorum quæ poſſident, vel diſputationis, & ſpeculationis tantùm gratia, à viris eruditis publicè diſceptentur, aut in controuerſiam vocentur, ne ſpiritus turbulenti aut ignorantes, qui verum & manifeſtum inter *ſpeculationem*, & *praxim* diſcrimen aut neſciunt, aut ad ſeditioſas ſuas machinationes ſub fuco tituli probabilis de inſtituto forſan palliandas neſcire diſſimulant, inde anſam arripiant pacem publicam perturbandi, & tumultus contra ſacratas *Regum* perſonas, Status aut Regimina in Republica concitandi. Ob quam cauſam *Senatus Pariſienſis* prudenti admodum conſilio motus, pluribus *Edictis* ſanciuit, vt doctrina, quæ *Papalem Reges* ſuos de-

ponendi poteſtatem tuetur vel quidem *problematicè*, ſeu vt probabilistantùm, in Scholis aut Diſputationibus non propugnetur; ne ſpiritus ſeditioſi, qui diſcrimen inter *ſpeculationem*, & *praxim*, vel neſciunt, vel de induſtria ſcire diſſimulant, inde occaſionem ſumant in Coronas aut Capita *Regum* ſuorum moliendi. Similemq; ob cauſam Catholicus Hiſpanarum *Rex Philippus* ſecundus, publico *Edicto* die tertio Octobris 1610. dato, ſub pœnis grauiſſimis ſanciuit, vt nulla omnino perſona, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, aut conditionis fuerit, Tomum vndecimum *Card. Baronij* cum *Tractatu* illo, in quo à num. 18. anni 1097. ad num. 144. contra *Monarchiam Siculam*, tanquam *Sedis Apoſtolicæ* Iuribus aduerſantem inuehitur, in ſuis Regnis & dominijs, *ſiue impreſſum, ſiue manuſcriptum diuulgare, habere, vendere*, aut *emptitare* præſumeret. Quod autem eiuſmodi prohibitiones iuſtæ ſint, ex eo apparet, quoniam *Principes* & Reſpublicæ temporales ex vi ſuæ poteſtatis politicæ plenam & legitimam authoritatem

tem habent, quamcunque doctrinam *non neceſſariam*, quantumcunq; probabilis *ſpeculatiuè* reputetur, prohibendi, ex qua ſacratis *Regum* perſonis, aut Coronis probabile periculum creari, & ſeditiones, atque tumultus pacem publicam perturbantes, concitari queant.

4. *Imprimis* igitur clarum eſt, non fuiſſe *Parlamento*, ſeu *tribus* Regni *Ordinibus*, qui totius *Regni*, ſeu *Reipublicæ corpus* repręſentant, inſtitutum, vt illa verba [*aut per vlla media cum quibuſcunque alijs*] abnegationem illius poteſtatis, quam *totum Regnum*, ſeu *Reſpublica Principem* ſuum *ſupremum* in quibuſdam caſibus deponendi, iuxta quorundam Doctorum ſententiam, prætendere poteſt, continerent, vti *Leſſius* & alij, (quos *Author* ille *Tractatus Anglici* de *Eccleſiaſtica*, & *Regia poteſtate* ſequi videtur) otioſè obijciunt. Et quantumuis illorum verborum ſenſus eſſet, quòd nulla prorſus *toti* etiam *Reipublicæ Principem* ſuum *ſupremum* deponendi poteſtas competat, attamen, cùm doctrina valde probabilis ſit, vtpote à plurimis

mis tum eruditis Theologis tum Iuriſperitis à *Widdringtono* citatis pro-
In *Apologia* pro *Iure Principum* nu. 411. pugnata, nullam talem poteſtatem *Principem* ſuum *ſupremum* deponendi *Reipublicæ* communicatam eſſe, ex ijſdem principijs ſuprà poſitis ſatis conſtat, licitum eſſe cuiuis (quamcunq; opinionē circa hanc Reipublicæ in *Regem* poteſtatem *ſpeculatiuè* tueatur) profiteri, & iurare, quod *tota Reſpublica* non maiorem authoritatem habeat *Regem* deponendi, ſeu eum è Regno, quod poſſidet, practicè extrudendi, quamdiu de hac poteſtate *ſpeculatiue* ſumpta certant Theologi, quàm habeat apertam iniuſtitiam (vti *Author* ille *Tractatus Anglici* &c. & *Leonardus Leſſius* contra poteſtatem *Papalem* Principes deponendi, ſi doctrina illius *non certiſſima*, ſed *probabilis* tantùm ſit, eodem planè argumento nixi, euidenter demonſtrant) perpetrandi. Sed verus & apertus illorum verborum ſenſus, & *Regis Regniq; Ordinum* menti conſonus, tantùm eſt, quòd *Papa* nullam *Regem deponendi* &c. *poteſtatem vel authoritatem* habeat. Videlicet, *quòd*

Papa,

Papa, neq; per ſe ipſum, id eſt, neque vt ſola, aut principalis cauſa efficiens, *nec per vllam authoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ*, id eſt, neque vt Inſtrumentum, aut Miniſter Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ, *nec per vlla alia media cum quibuſcunque aliis*, id eſt, neque vt verè principalis, aut propria partialis cauſa efficiens, *aliquam habeat poteſtatem, vel authoritatem Regem deponendi &c.*

5. *Secundò*, neque etiam *Regis, Regniq; Ordinum* mens erat per illa verba [*vel alicui Principi extraneo authoritatem concedendi ad ipſum damnificandum, aut terras ſuas inuadendum*] negare authoritatem, quam *Principes ſupremi*, & abſoluti habent, aliorum *Principum* Regna inuadendi, & bellum contra illos mouendi, & proinde etiam contra *ſuam Maieſtatem*, ſi forte iuſtam arma capeſſendi cauſam illis præberet (hac tamen cautione ſemper obſeruanda, quòd nulla poteſtas, cauſa, vel titulus tantùm *probabilis*, poſſit eſſe ſufficiens *fundamentum*, quo *immediatè aliquis puniatur, aut è dominijs, quæ poſſidet, deturbetur*)

betur) ſed hoc tantùm illis inſtitutum erat vt ipſamet verba planè ſignificant, *Romani Pontificis* (non quâ *Princeps* eſt *temporalis*, ſic enim eadem ratio eſt illius, atque cæterorum *Principum temporalium*, ſed quâ *Romanus Pontifex* eſt, & *Paſtor ſpiritualis*) authoritatem negare concedendi alicui Principi extraneo poteſtatem, & licentiam ad ipſum damnificandum, aut terras ſuas inuadendum: Quandoquidem tota authoritas quã *Principes ſupremi*, ob quamcunque cauſam, crimen, vel finem, habent bellum inferendi, & aliorum *Principum* ditiones inuadendi, ex ſuprema illorum temporali poteſtate, in *lege Naturæ*, vel *Nationum* fundata, & non ex *Romani Pontificis* poteſtate illis communicata prouenit. Et ſimiliter *tota authoritas*, quam *Reſpublica ciuilis* prætendere poteſt Arma contra *Principem* ſuum *ſupremum* in aliquo caſu capiendi, non ex *Romani Pontificis* conceſſione, licentia, vel authoritate, ſed ſi talis authoritas in Republica eſſe ſupponatur, ex *lege Naturæ* profluit, & dimanat. Et propterea

tereà iure optimo in hac clauſula negatur *Romano Pontifici*, quâ talis eſt, *omnis poteſtas concedendi authoritatem alicui* Principi *exetraneo ad Regem damnificandum, aut terras ſuas inuadendum: vel vllis ſuæ Maieſtatis ſubditorum licentiam, aut facultatem dandi, vt arma contra ipſam gerant, tumultus excitent, aut aliquam violentiam vel damnum* Regiæ *ſuæ* perſonæ, Statui, *aut* Regimini, *vel aliquibus* Maieſtatis ſuæ *ſubditis intra eius dominia offerant.* Quoniam, tametſi talem eos habere authoritatem, licentiam, vel facultatem admitteremus, (de qua tamen *Rex, Regnique Ordines* in *hoc Iuramento* agere noluerunt) eam nihilominus non à *Romano Pontifice*, ſed ex *iure Naturæ*, vel *Nationum* deriuatam, & dependentem haberent.

6. *Tertiò*, in hac *Clauſula* non negatur *Romano Pontifici* poteſtas temporalia in ordine ad bonum ſpirituale *imperandi*, ſeu *declarandi*, eos quibus deponendi, & Arma gerendi poteſtas competit, ad temporalem ſuam authoritatem exercendam, & gladium temporalem exerendum,

dum, quotieſcunque Eccleſiæ neceſſitas, & ſpiritualis animarum ſalus id poſtulauerit, obligatos eſſe. Hæc enim authoritas *præcipiendi*, & *declarandi*, ſpiritualis, poteſtatis limites non excedit (vti *Widdringtonus* alibi fuſius commonſtrauit) ſed hîc ſolùm negatur *Romano Pontifici* poteſtas, ſeu authoritas *deponendi Principes* temporales, *diſponendi* de temporalibus, & *Principibus* temporalibus, aut ſubditis authoritatem, licentiam, vel facultatem tribuendi, vt gladium & poteſtatem temporalem exerceant, eoq; vtantur: Quicunq; enim alteri authoritatem dat temporali gladio ſeu poteſtate vtendi, ipſe etiam per ſeipſum eo vtendi poteſtatem & authoritatem habet, quantumuis nonnunquam ob virium, aut neceſſarij alicuius Inſtrumenti defectum eo vti perſe metipſum non poſſit.

Widdringt. in Apologia nu. 99 & alibi ſæpiſſimè, ſed præſertim in *Confutat.* Anglicana *Thom. Fitzherbt.*

7. Et tametſi *imperans* ſeu *præcipiens* (quod pro friuola quadam obiectione diluenda, quam *Author* Tractatus *de Eccleſiaſtica* & *Regia poteſtate* magni facit, *Obſeruandum eſt*,) vulgo dicatur id facere, quod ſuo mandato

mandato & imperio factum eſt. (Et pari modo qui conſulit, conſentit, & aliquo modo, licèt per accidens, & non propria ſua virtute aut influxu, concurrit, illud facere dici ſoleat, veluti ille qui ignem ſtupæ applicat, immo & qui iubet, conſulit, vel non impedit applicationem illius, quando impedire tenetur, ſtupam dicitur comburere, etiamſi non ſit combuſtionis *vera* aliqua, & *propria cauſa efficiens*, ſed ſolùm *cauſa per accidens*) attamen *mandans*, ſeu *præcipiens* non dicitur illud facere quod præcipit, tanquam *vera*, & *propria cauſa efficiens*, vel tanquam habens virtutem, poteſtatem & facultatem illud quod præcipit efficiendi (de qua *hæc* Iuramenti *Clauſula* duntaxat loquitur) ſed ſolùm tanquam Cauſa per accidens, & veram cauſam efficientem ad agendum moraliter applicans (quæ, iuxta concordem omnium Philoſophorùm ſententiam, vera, & propria Cauſa efficiens non cenſetur) niſi propria ſua poteſtate, virtute, & influxu ad illud efficiendum concurrat, & Mandatarius, ſeu ille cui mandatum

tum datur, totam ſuam poteſtatem, virtutem, & facultatem illud efficiendi à mandante deriuatam & dependentem habeat.

8 Atque ob hanc cauſam *Pictor*, qui *famulo* ſuo præcipit, vt talem picturam conficiat, illique regulas & inſtructiones præbet, quomodo colores miſcere, & poſtea applicare oporteat, quam *famulus* abſque *Pictoris* inſtructionibus conficere non valeret, eſt *principalis cauſa efficiens* illius Picturæ, & *famulus* eſt *Miniſter* tantùm, & *Inſtrumentum* illius, quandoquidem totum artificium conficiendi illam Picturam ex *Pictoris* mãdato, & Inſtructionibus deriuatur, atque dependet. Et nihilominus *Rex* artis pingendi ignarus, qui *Pictori* præcipit, vt talem Picturam conficiat, non eſt *vera*, & *propria cauſa efficiens* illius Picturæ, ſed ſolum *Cauſa per accidens*, moraliter applicans *Pictorem*, qui pingendi arte peritus eſt, vt arte ſua in ea Pictura conficienda vtatur. Pari modo *Princeps*, qui Iudicibus ab eo deputatis præcipit, vt aliquem egregium malefactorẽ condemnent

demnent & morti adiudicent, eſt *vera & propria cauſa efficiens* illius ſententiæ & ſupplicij, & Iudices ſunt tantùm *Miniſtri*, & *Inſtrumenta* ipſius, quandoquidem totam ſuam authoritatem ſententiam illam ferendi, & executioni mandandi ex *Principis* authoritate & imperio deriuatam & dependentem habent; cùm ſolus *Princeps*, vtpote totius politicæ poteſtatis Caput & fons, eam mortis ſententiam ferendi & exequendi poteſtatem atque authoritatem illis concedat. Et nihilominus *Papa* Principi præcipiens, vt temporali ſuo gladio, poteſtate, & authoritate, quando Eccleſiæ aut iuſtitiæ neceſſitas id poſtulauerit, vtatur, veluti vt bellum gerat, vt *Principis* alicuius hæretici aut infidelis, quando iuſta belli cauſa ſuppetit, dominia inuadat, vel vt egregium aliquem, & non tolerandum malefactorem morti adiudicet, eſt tantùm *cauſa per accidens* illius belli &c. nempe per ſuam declarationem & mandatum moraliter applicans eum, qui poteſtate bellum inferendi &c. præditus eſt, ad illud in caſu neceſſi-

tatis

tatis inferendum &c. Sed *Papa* non eſt *vera*, & *propria cauſa efficiens* illius belli &c. neque bellum illud inferre dici poteſt, tanquam *habens authoritatem* illud inferendi, vel tanquam *tribuens Principi* temporali *authoritatem*, licentiam, & poteſtatem illud inferendi &c. Neque *Princeps* in tali bello gerendo &c. eſt *Papæ Inſtrumentum*, *Miniſter*, *aut Exequutor* (vti *Author* iſte Tractatus Anglici de *Eccleſiaſtica* & *Regia poteſtate* abſurdiſſimè affirmat) quandoquidem *Principes ſupremi* authoritatem bellum gerendi, & poteſtatem ſuam temporalem exercendi, non ex *Pontificis* præcepto, ſed ex *iure Naturæ*, aut *Gentium* deriuatum & dependentem habent; cùm tamen (iuxta approbatam omnium Philoſophorum ſententiam) ad rationem *Inſtrumenti* neceſſariò requiratur, vt totam ſuam agendi virtutem ab agente principali deriuatam & dependentem habeat; Sed tota authoritas, quam *Principes ſupremi*, aut *Reſpublicæ ciuiles* in rebus temporalibus habent, non ex *Romani Pontificis* imperio, aut poteſtate, vt dixiimus,

diximus, ſed ex *iure Gentium*, aut *Naturæ* dimanat.

9. Atque hinc perſpicuum eſt, quàm turpiter prædictus *Author* præfatam obiectionem contra hanc *Iuramenti* Clauſulam vaniſſimè vrgens, hallucinatus fuerit, dum non aduertit diſcrimen inter *mandantem*, qui tantùm præcipiendi aut declarandi, ſed non exequendi, ſeu illud quod mandat per ſeipſum efficiendi poteſtate & facultate præditus eſt, & *mandantem*, qui tum mandandi, tum etiam exequendi, ſeu illud quod mandat per ſeipſum efficiendi poteſtatem & facultatem habet, tametſi forſan ex virium, alteriuſue neceſſariæ diſpoſitionis, aut medij, ſed non ex poteſtatis & authoritatis defectu illud per ſeipſum efficere non queat. Veluti quilibet *Princeps* legitimus, & ſupremus plenam, & ſufficientem habet poteſtatem, ſeu authoritatem ſubditos ſibi rebelles coercendi & reprimendi, tametſi nonnunquam ob nimiam eorum potentiam, ſed non ex authoritatis defectu, eos ſuperare,&

re, & in debitam subiectionem redigere non valeat.

CAPVT Tertium.

Tertia Iuramenti *Clausula*, Eiusdemque *Explicatio.*

ITem iuro ex corde, quod non obstante vlla declaratione, vel sententia Excommunicationis, aut deprivationis facta vel concessa, aut facienda vel concedenda per Papam, vel Successores suos, vel per quamcunque authoritatem derivatam, vel derivari pretensam ab illo, seu à suo Sede contra dictum Regem, Hæredes, aut Successores suos, vel quacunque Absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientiâ; fidelitatem tamen & veram obedientiam suæ Maiestati, *Hæredibus, & Successoribus suis præstabo: Ipsumque, & ipsos totis meis viribus contra omnes Conspirationes, & attentata quæcunque, quæ contra Personam illius, vel illorum, eorumque Corenam & dignitatem, ratione vel colore alicuius eiusmodi sententiæ vel declarationis,*

clarationis, aut alias facta, fuerint, defendam: Omnemque operam impendam, reuelare & manifeſtum facere ſuæ Maieſtati, *Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis omnes proditiones & proditorias Conſpirationes, quæ contra illum, aut aliquos illorum ad meam notitiam, vel auditum, peruenerint.*

1. Hæc *Clauſula* paulo manifeſtior eſt, quàm præcedens, cùm poteſtatem *Romani Pontificis Regem* deponendi expreſſis verbis non neget, ſed duntaxat promiſſionem Iureiurando firmandam contineat, quòd etiamſi *Papa* vel iam denunciauerit, vel in poſterum denunciaret vllam Excommunicationis, aut depriuationis ſententiam contra *Regem*, Hæredes, aut Succeſſores ſuos, vel ſubditos ab eorum obedientia abſolueret, ipſi tamen fidelitatem & veram obedientiam *ſuæ Maieſtati*, Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis præſtabunt, Ipſumque & ipſos totis viribus defendent; &c. Veruntamen *Iuſtitia* huius *promiſſoriæ* partis veritatem prioris *aſſertoriæ* Clauſulæ tanquam præcipuum illius fundamentum ſupponit.

Et proinde hæc etiam *Clauſula*, licèt non expreſſè atque apertè, tacitè tamen atque implicitè poteſtatem *Papalem Principes* depriuandi, & ſubditos ab eorum fidelitate abſoluendi negat. Quicunque enim iurat, quòd non obſtante quacunque ſententia depriuationis, vel abſolutionis Subditorum à fidelitate *lata*, vel (quæ verba maximè obſeruanda ſunt) in *poſterum ferenda* per *Papam*, vel Succeſſores ſuos contra *Regem*, oportet eum, vt hanc ſuam promiſſionem iuſtam & licitam reddat, conſequenter etiam negare, non eſſe in *Romano Pontifice* poteſtatem *Regem* depriuandi, vel ſubditos ab eorum fidelitate & obedientia Regi debita abſoluendi, vti *Suarez* hanc *Iuramenti* Clauſulam expendens clariſsimè demonſtrat. Nam ſi ſententia depriuationis contra *Regem* ob aliquam cauſam vel crimen manifeſtum per *Papam*, vel Succeſſores ſuos vllo vnquam tempore in poſterum denuncianda poteſt eſſe iuſta, valida, & efficax, non minus illicitum eſt *hanc* Iuramenti *Clauſulam* Iuramento firmare, quàm illicitum

Vide ſupra in *Annotationibus* ad 13. Sacerdotum *Profeſſionem.*

illicitum sit cuiuis iurare, se sententię, & mandato *Summi Pontificis* non obtemperaturum, quantumcunque iusta fuerit, & absque vllo errore, aut defectu lata esse supponatur. Si autem eiusmodi depriuationis sententia nullo vnquam tempore iusta esse poterit, necessariò consequitur, non maiorem *Romano Pontifici* potestatem *Regem* depriuandi, quàm apertissimam iniustitiam perpetrandi authoritatem competere.

2. Quapropter *tredecim* illi *Sacerdotes* Angli, qui publica & solemni *Protestatione* proprijs chirographis consignata polliciti sunt, quod *non obstante quacunque authoritate* (quæ verba magis generalia sunt, quàm non *obstante quacunque deprivationis sententia*, nam & authoritatem depriuandi, & quamcunque aliam *Romani Pontificis* authoritatem includunt) *vel Excommunicationis quacunque sententia denunciata, vel denunciandâ* contra *Reginã Elizabetham*, eo tempore omni Regnandi Iure priuatam, vel *contra omnes* Maiestatis suæ *subditos intra eius dominia natos, quia* à Maiestatis suæ,

eiusque dominiorum defensione, vt supra, non recederent, omnem tamen *in causis temporalibus obedientiam* suæ Maiestati *præstarent, & Principem ac Patriam, quod officij sui existimant esse, defenderent,* hanc *Tertiam* Iuramenti *Clausulam* suscipere tunc temporis non formidassent. Et proinde vt se à *periurij* crimine liberos reddant, necesse est vt tacitè, & ex consequenti negent, esse in *Papa* potestatem *Reginam* depriuandi, & subditos à fidelitatis vinculo absoluendi: quandoquidem hæc eorum *Protestatio*, vt licita sit, necessario supponit, non potuisse *Reginæ* subditos per quamcunque *Romani Pontificis* authoritatem à vinculo fidelitatis vnquam liberari, aut per vllam sententiam etiam futuram vllo vnquam tempore Excommunicationis vinculo innodari, eo quòd dictæ *Reginæ* vel tunc depriuatæ, vel in futurum ob quamcunq; causam, crimen, aut quibuscunque opportunitatibus vel circumstantijs occurrentibus per quamcunque authoritatem depriuandæ, omnem in temporalibus obedientiam præstare para-

paratissimi existerent; Ex quo planè consequitur, oportere etiam eos *Sacerdotes* agnoscere, non fuisse in *Romano Pontifice* authoritatem *Reginam Elizabetham* vllo vnquam tempore Regio Principatu priuandi, vt ex *Francisci Suarez* Discursu contra hanc *Tertiam* Iuramenti *Clausulam* facto apertissimè deduci potest. Qui enim omnem effectum tàm præteritum quàm futurum negat deponēdi, ipsam etiam potestatem deponendi negat, cùm superuacanea, & proinde ipso facto nulla sit illa potestas deponendi Reges, quæ nunquam reducetur ad actum.

3. *Imprimis* igitur in hac *Clausula* non negatur *Romani Pontificis* potestas *Reges excommunicandi*, (vti quidam Card. *Bellarmino*, & *Leonardum Lessium* sequuti vanissimè obijciunt) sed solum in ea negatur, *Excommunicationem*, cùm spiritualis tantùm Censura sit, hunc temporalem effectum operari, vt ex *Regibus* non *Reges* efficiat, aut eos suprema sua Regia dignitate & potestate priuet, & consequenter, vt subditos à fidelitate

& obedientia sua naturali, quam, iuxta *Card. Bellarmini*, & *Francisci Suarez* doctrinam, *ex lege Dei*, & *Naturæ Principibus suis legitimis debent*, exoneret. Atque hoc ipsum *Rex* noster *Serenissimus* sæpiùs scriptis publicis expressimè declarauit. *Ea pars publicorum Ordinum*, ait *Rex*, *quæ inferiore Curiâ continetur (inferiorem domum* Parliamenti *vocant) cùm primùm conciperetur Iurisiurandi formula, clausulam inseruerat, quâ* Pontifici *excommunicandi mei potestas adimebatur. Sed hanc clausulam induci protinus ac deleri volui, vt vis alia huius Iurisiurandi non esset, quàm* Excommunicationem Pontificis, *iustam ac legitimam causam meis subditis ministrare non posse, vi quicquam apertis aut clandestinis consilijs, in me, meumque Imperium moliantur, qui abdicandorum Regum ius, nullo legitimo modo* Pontifici *quæsitum esse censeam; & hanc iniustam* Paparum *usurpationem, & violentiam secularem,* Excommunicationis, quæ *spiritualis Censura est, fines longè latèq; excedere arbitror.* Et insuper, quod deprivatio, aut depositio à Regnis

In *Præfatione Monitoria* parum a principio.

tempo-

temporalibus non sit effectus *Excommunicationis*, tum *Widdringtonus* sæpiùs dilucidè commonstrauit, tum etiam *Becanus* & *Suarez* disertis verbis affirmarunt. *Hinc facilè apparet*, ait *Becanus*, *hæreticos, ex eo præcisè quòd excommunicati sunt, non priuari domino & iurisdictione siue in subditos, siue in bona temporalia, sed hanc priuationem esse distinctam pœnam, & distincta lege irrogatam.* Et alibi, *Aliud est*, ait Becanus, *excommunicare* Regem, *aliud deponere, seu Regno priuare. Nec alterum cum altero necessariò connexum est. Multi Reges & Imperatores fuerunt excommunicati, non tamen ideo depositi. Et contra, multi depositi, non tamen ideo excommunicati.* Vide etiã verba *Suarez* citata à *Widdringtono* tum in *Apologia* pro Iure Principum, tum in *Responsione* ad *Suarez*, & *Fitzherbertum*.

Widdring. in Apolog. nu. 346 in *Respons.* ad *Suarez*, part. 2. sec. 4. & in Confut. *Tho. Fitz.* part. 3. cap. 1. *Becanus* in quæst. de fide hæreticis seruanda cap. 8. nu. 16. & in *Controuers. Anglic.* cap. 3. q. 2. *Suarez* tom. 5. disp. 15. sec. 6. nu. 3.

4. Quapropter pudet, pigetque, atque etiam miseret me stupendæ audaciæ illius doctoris, qui *Tractatum* de *Ecclesiastica*, & *Regia* potestate compilauit, viri mihi quondam charissimi, quemque summo honore ac

veneratione complexus ſum, quòd adeo nominis ſui & famæ oblitus tam aperta imperitiæ, fraudis, & imprudentiæ indicia prodiderit, dum adeo temerè, & ne vmbram quidem vllius argumenti ad probãdum id quod aſſerit producens, tam audacter affirmare non erubeſcit, *depriuationẽ Regiæ poteſtatis eſſe effectum* Excõmunicationis *Regum ac Principum, atque ita negando effectum cauſam ipſam negari. Sicut enim*, ait ille, *ſi quis aſſereret hominem non eſſe riſibilem, aſſereret etiam eum non eſſe hominem, ita qui negat eſſe in* Papa *poteſtatem Principes ſuis Regnis priuandi, virtute & in effectu etiam negat eſſe in eo poteſtatem excommunicandi.* Cùm tamen *Doctor* iſte ignorare non potuerit, *Widdringtonum* in illo eodem *capite*, quod ipſe confutandum ſuſcepit, ex aperta *Becani*, & *Suarez* doctrina iam relata, contra *Leonardum Leſſium*, (qui etiam adeo nudè & abſq; vlla omnino probatione idem aſſeruerat) perſpicuè demonſtraſſe, depriuationem *Regiæ* poteſtatis non eſſe effectum aliquem *Excommunicationis*, multo minùs

nùs *proprium quarto modo*, veluti *potentia ridendi propria* eſt *homini*, vti *Doctor* iſte inſcitè nimium & inuerecundè aſſeuerat. Et nihilominus *Doctor* iſte, vt ex libri ſui *Inſcriptione* conſtat, hunc ſuum *Tractatum* de induſtria compilaſſe prætendit, *ad conſcientias* Catholicorum *in hac grauiſſima*, de Iuramento *fidelitatis controuerſia plenè inſtruendas*, ſcilicet, *& ſerenandas*. Sed hæc in præſenti ſufficient ad *Doctoris* iſtius fraudem & imprudentiam in iſto fidelitatis *Iuramento* explicandò (ſi præſertim perſonam ipſius, Officium quod iam gerit, & doctrinam quam olim tradidit, ſpectemus) imperfectè adumbrandam, quandoquidem perfecta eius Imago, tam in hac, quàm in alijs rebus, iam, vti audio, delineata ſit, & viuis coloribus depingenda breuî in lucem proditura expectatur.

5. *Secundò*, ex præcedentibus *Præludijs* ſatis conſtat, verba illa [*Hæredes & Succeſſores*] non ſignificare eos, qui per vim & iniuriam ſuccedunt (vti quidam erga Iuramentum malè affecti

fecti contra manifestam ipsiusmet *Legis*, & *Legislatoris* mentem, contra planum & communem verborum sensum, & contra regulas superiùs assignatas verba illa detorquere conantur) Nam tametsi vox illa [*Successor*] generatim & per se sumpta, quemlibet *Successorem* siue legitimum, siue illegitimum significare queat, speciatim tamen & propriè, quando in lege aliqua collocatur, pro *Successore* tantùm legitimo seu qui secundum legis præscriptũ succedit, accipi solet & debet. Et propterea, iuxta regulam illam Iuris Ciuilis *superiùs* in Secundo *Præludio* relatam, Quòd *in ambigua voce legis ea potiùs accipienda est significatio quæ vitio caret*, vox hæc [*Successor*] in hoc *Iuramento* publica totius Regni lege stabilito, ad *Successores* tantùm legitimos, & qui iuxta leges Regni succedunt, restringi omnino debet. Nam sicut secundùm leges, *Id tantùm possumus quod iure possumus*, ita iuxta leges ille tantùm succedere æstimatur, qui legitimo iure succedit. Quocirca Iurisconsulti *Hæreditatem* definiunt, *esse Succes-*

Succeſſionem in vniuerſum ius quod habuit defunctus, & Hæredem, *qui in vniuerſum ius defuncti ſuccedit*, neque addunt, *legitimam* ſucceſſionem, vel qui *legitimè* ſuccedit, quia hæc ſemper ſubintelliguntur, & propterea tanquam neceſſariò ſubintelligenda in definitione *Hæredis*, & *Hæreditatis* non exprimuntur, licèt tacitè & implicitè ſemper ſupponantur. Et quotieſcunque in *Communibus*, *Municipalibus*, vel *Pragmaticis* huius Regni ſanctionibus vlla de *Rege*, eiuſq; *Succeſſoribus* mentio fit, hac vox [*legitimus*] raro aponi ſolet, tametſi ſubintelligi ſemper debeat.

6. *Tertio*, ex præcedentibus etiam Præludijs manifeſtum eſt, verba illa [*Proditiones, & proditorias conſpirationes*] ſolùm de veris, proprijs, & naturalibus *Proditionibus*, & quæ apud omnes Gentes, quamcunque Religionem profiteantur, *Proditiones* reputantur, quæque naturali & temporali obedientiæ & fidelitati verè repugnant, intelligenda eſſe; & non de illis *Proditionibus*, quæ, intuitu potiſſimùm Religionis, per poſitiuas ali-

quarum

quarum Nationum leges *Proditiones* efficiuntur, & ea tantùm de causa tales reputantur, quoniam ordinarijs pœnis, quæ veris, proprijs, & naturalibus *Proditionibus*, iuxta eorundem leges debentur, castigari solent. Veluti in hoc Regno, publicorum Ordinum lege sub pœna perduellionis sancitum est, ne quisquam natiuus huius Regni subditus in partibus transmarinis *Romani Pontificis* authoritate *Sacerdos* ordinatus postea in hoc Regnum reuertatur &c. Etenim, vt *Rex*, *Regnique Ordines* sæpiùs expressè declararunt, non in alium finẽ constitutum est hoc *Iusiurandum*, quàm vt subditi *professionem* faciant *fidelitatis illius, ciuilisque & temporalis obedientiæ, quam ipsa Natura omnibus sub Regno nascentibus* (quamcunque Religionem profiteantur) *præscribit, additu sponsione, qua opem & auxilium contra omnem vim debitæ fidei aduersam à subditis postulabant.* Nam vt tam horrendis & prodigiosis Coniurationibus, quæ exemplo *Sulphurei pulueris* Proditorum (qui præpostero Religionis *Catholicæ Romanæ* subue-

hendæ

hendæ *zelo* ad tam barbaram & diabolicam immanitatem inducti erant) futuris temporibus attentari possent, melius in posterum occurreretur, *concepta erat*, ait Rex *eiusmodi* Iuramenti *formula, in quam subditi mei liquidò iurarent, palamque profiterentur, se in fide & obedientia mihi lege nascendi debita constanter permansuros.* Et in *Editione Anglicana*, finem huius *Iuramenti* esse professionem *naturalis obedientiæ, & fidelitatis* sæpius repetit. Ex quo perspicuum est, eiusmodi tantùm *Proditiones*, & *Proditorias Conspirationes* hîc significari, quæ *naturali obedientiæ*, & *fidelitati* aduersantur, & non *Proditiones* mere positiuas, quæque solo Religionis intuitu positiuis. Regni legibus *Proditiones* efficiuntur, nullam tamen cum *obedientia*, & *fidelitate naturali*, quę sola *Regibus lege nascendi*, seu *naturali* debetur, repugnantiam habent. Atq; in hoc etiam sensu *tredecim* illi *Sacerdotes Angli* verba illa [*Conspirationes & machinationes,*] in sua *Protestatione* intellexerunt.

CAPVT

CAPVT Quartum.

Quarta Iuramenti Clauſula, Eiuſdemque Explicatio.

PRæterea iuro, quod ex corde abhorreo, deteſtor, & abiuro tanquam impiam & hæreticam hanc damnabilem doctrinam & poſitionem, Quòd Principes per Papam *excommunicati vel deprivati poſſunt per ſuos Subditos, vel alios quoſcunque deponi, aut occidi.*

1. Tametſi veritas huius *Clauſulæ* poſſit nonnullis primo aſpectu ob vocem illam [*hæreticam*] aliquantulum ſuſpecta reddi, ſi quis tamen illam, iuxta *Obſeruationes* ſupra poſitas diligenter expendere voluerit, non tantam difficultatem, quantam quidã *Iuramenti* impugnatores prætendunt, in ſe continere ſtatim deprehendet: ſed clariſſimè perſpiciet, quòd ſi licitum fuerit prædictam poſitionem, vti *manifeſtè falſam*, & *ſupremis Principibus iniurioſam* abhorrere, deteſtari, & abiurare, licitum quoque erit, eam abiurare vti *hæreticam*, ſeu quod idem eſt, quæ *falſitatem*

tem non ſolùm rationis naturalis lumini, verùm etiam *Verbo Dei* in Sacris Scripturis reuelato aduerſantem contineat: Sicut enim quælibet doctrina ſeu poſitio, quæ veritatem *à Deo* patefactam in ſe complectitur, *de fide* cenſenda eſt, ita è contrario quælibet doctrina ſeu poſitio, quæ falſitatem *Verbo Dei* in Sacris Scripturis reuelato repugnantem continet, *hæretica*, & *fidei contraria* cenſeri debet. Atque in hoc ſenſu vox illa [*hæretica*] non ſolùm à *Proteſtantibus*, verùm etiam à *Doctoribus Catholicis* communiter accipi ſolet, vti *Widdringtonus* in Reſponſione ad *Thomam Fitzherbertum* copioſè commonſtrauit. In *Appendice* ad part. 2. a nu. 106.

2. Neque neceſſarium eſt, vt vocabulum illud [*Hæreticam*] ſicut etiam vllam aliam vocem ambiguam in iſto *Iureiurando* contentam, in eiuſmodi ſtricto & rigoroſo ſenſu accipiamus, in quo quidam Catholici vocem illam [*hæreticam*] vſurpare ſolent, nempe pro doctrina, quæ in ſe continet falſitatem, non ſolùm *Verbo Dei* in Sacris Scripturis reuelato repugnantem,

tem, ſed quæ etiam ab *Eccleſia*, ſeu *Generali Concilio* Eccleſiam repræſentante expreſſè & particulatim *hæretica* eſſe declarata & definita eſt, ſed ſufficit, quòd vocem illam [*hæreticam*] in proprio & vſitato ſenſu, & in quo ab eruditis Catholicis vſurpari ſolet, accipiamus, quando præſertim ſenſus iſte viſitatus menti & voluntati *Legiſlatoris* conſonus eſt: quandoquidem iuxta approbatam *Iuriſprudentium* regulam ſuperiùs in Secundo *Præludio* relatam, quotieſcunque in materia odioſa & pœnali verba Legis dubia & ambigua ſunt, & plures habent ſenſus vſitatos, ille ſenſus eligendus eſt, qui eſt *mitior* & *fauorabilior*, ſi præſertim ſenſus ille fauorabilis menti & intentioni *Legiſlatoris* non aduerſetur.

3. Neque etiam opus eſt, vt doctrina aliqua, vel poſitio ſit & cenſeatur *hæretica*, quòd propoſitio illa cum ſingulis particularibus circumſtantijs in ea expreſſis, in *Sacra Scriptura* habeatur, ſed ſatis eſt, quòd particularem falſitatem contineat, quæ ſolùm generatim in Sacris Scripturis

expreſſè

expreſſè habetur, & nullum particulare vocabulum, aut additamentum in illa particulari poſitione apponatur, quod impedire poſſit, quo minùs in generali falſitate tanquam particularis in generali includatur. Ob quam cauſam iſtæ propoſitiones, *Licitum eſt cuiuis crumenâ proximo vitam laſciuam, aut ſceleratam agenti per vim eripere. Licitum eſt, eiuſmodi hominem pugione, aut ſclopo interficere. Licitum eſt cuiuis Tyrannum occidere*; falſæ ſunt & *hæreticæ*, illiſque verbis Sacræ Scripturæ, *Non furtum facies*; *Non occides*, repugnantes; tametſi particulares illæ circumſtantiæ, de vitam laſciuam aut ſceleratam ducendo, aut illum pugione vel ſclopo occidendo, vel quod Tyrānus ſit, expreſſis verbis in Sacra Scriptura non reperiantur: quandoquidem non ſunt eiuſmodi, quæ furtum vel homicidium licitum reddant, atq; efficiant, vt particulare illud furtum & homicidium in illis generalibus verbis, *Non furtum facies*: *Non occides*, tanquam particulare in vniuerſali non contineantur.

4. *Inprimis* igitur, quantumuis ſi

materiam huius *Clauſulæ* reſpiciamus, non ſolùm doctrinam de *occidendis*, verùm etiam de *deponendis Principibus*, qui per *Papam* excommunicati aut depriuati ſunt, tanquam *hæreticam* abiurare verè & licitè poſſimus, attamen ſi *vim* & formulam *verborum*, iuxta planum & communem eorundem ſenſum & intellectum, (ad quem *Septima* Iuramenti *Clauſula* Iurantem aſtringit) ſolùm modo attendamus, vtramque doctrinam tanquam *hæreticam* abiurare nequaquam obligamur, ſed ſufficit *ex vi verborum*, vt doctrina de *occidendis* eiuſmodi *Principibus* tanquam *hæretica* abiuretur, vti *Widdringtonus* in Diſputatione Theologica, & in Reſponſione ad *Thomam Fitzherbertum* fuſiùs comprobauit. Et ratio eſt, quoniam, vt propoſitio *conditionalis diſiunctiua*, quæ nimirum liberam poteſtatem includit, vtramque *diſiunctionis* partem, ſi quis voluerit, eligendi, *hæretica* ſit, ſatis eſt, quòd vna tantùm *diſiunctionis* pars ſit *hæretica*, tametſi altera pars non *hæretica*, ſed *certiſſima* & *de fide* cenſeatur, cùm tamen planè contrarium

Cap. 5. ſect. 2. in *Appendice* ad 3. part.

trarium eueniat in propoſitione *abſoluta diſiunctiua*, quæ nullâ eiuſmodi conditionem, ſeu liberam eligendi, quam partem diſiunctionis quis voluerit, poteſtatẽ inuoluit. Vt, exempli gratia, hæc propoſitio, *Poteſt quiuis licitè*, ſeu, quod idem eſt, *In licitâ cuiuſuis poteſtate eſt, Deum honorare, vel, ſi velit, odio proſequi*, falſa eſt & *hæretica*, & tanquam *haretica* verè abiurari poteſt, tametſi vna tantùm *diſiunctionis* pars falſa & *hæretica* ſit, & altera vera & *de fide* eſſe certè cognoſcatur. Nam eiuſmodi propoſitio *conditionaliter diſiunctiua*, quod ad illius veritatem & falſitatem attinet, naturam *ordinariæ*, & *abſolutæ* propoſitionis *diſiunctiuæ* non ſequitur, ſed naturam induit propoſitionis *Copulatiuæ*, ad cuius veritatem, iuxta approbatam Dialecticorum regulam, requiritur, vt vtraque pars vera ſit, atque vt ſit falſa & *hæretica*, ſatis eſt, vnam tantùm illius partem falſam & *hæreticam* eſſe; cum tamen è contrario, vt propoſitio *abſolutè diſiunctiua*, (quæ nullam talem conditionem, ſeu liberam eligendi, quam

partem quis voluerit, potestatem includit) vera sit & de fide, sufficiat, vnam tantùm *disiunctionis* partem veram & de fide esse: sed vt falsa sit & *hæretica*, vtramque *disiunctionis* partem falsam & *hæreticam* esse omnino oporteat. Ob quam causam hæc propositio, *Viri sancti* Deum *amore aut odio prosequuntur*, vera est, eo quòd vna *disiunctionis* pars veritati consona sit; Et hæc propositio, *Viri sancti Deum amore & odio prosequuntur*, falsa est, eo quòd vna tantùm illius pars vera sit, & altera veritati repugnet.

5. Quòd autem hæc propositio [*Subditi possint licitè* Principes *per* Papam *excommunicatos vel depriuatos deponere, aut occidere*] quæ eundem planè habet sensum cum doctrina & positione in hac *Iuramenti* Clausula abiurata (cùm tantummodo verbum passiuum in actiuum commutetur) eiusmodi sit *conditionalis disiunctiua*, quæ liberam eligendi vtramque *disiunctionis* partem, si quis voluerit, potestatem includat, (Sicut etiam omnes eiusmodi propositiones disiunctiuæ, in quibus coniunctio disiunctiua

ctiua [*aut*] Anglicè [*Or*] ſequitur verbum [*poteſt*] ſeu in poteſtate eſt, Anglicè [*may*] liberam poteſtatem eligendi quam partem quis voluerit, iuxta communem & vſitatum Anglicani idiomatis ſenſum, ſupponunt, & includunt) *Widdringtonus* quamplurimis propoſitionum exemplis euidenter demonſtrat. Vt exempli gratia, *Potes*, ſeu *in poteſtate tua eſt*, Anglicè [*Thou mayeſt*] *manere hîc aut diſcedere: Bibere aut comedere: Vinum aut Oleum in tali loco mercari: Carnem Bouinam aut Porcinam in marcello comparare. Equo, pedibus, aut nauigio tale iter conficere: Terram illam in Feudum, aut Emphyteuſim accipere: Poteſt Rex*, ſeu *in poteſtate Regis eſt, ex decreto Parliamenti, à Catholicis conuictis viginti libras argenti per menſem, aut duas tertias bonorum omnium immobilium accipere. Poſſunt Vice-comitis latronem condemnatum ſubitò ſuſpendere, vel ad breue aliquod tempus vitam eius prorogare.* Si aliquis per vltimam ſuam voluntatem decernat, quòd *Executores* illius poſſunt viginti libras argenti

pauperibus elargiri, aut talem pontem diſruptum reſtaurare, *in libera Executorum poteſtate eſt, quam velint partem eligere.* Denique, in clauſulis *reuocationum*, vbi verba habentur, quòd aliquis poteſt per literas ſuas dum viuit, aut per vltimam ſuam voluntatem eoſdem vſus reuocare, & nouos inſtituere, *eſt in libera eius poteſtate aut hoc aut illo modo eos reuocare.* In iſtis & infinitis eiuſmodi exẽplis, quæ afferri queunt, verbum [*poſſum*] præcedens coniunctionem diſiunctiuam [*aut*] liberam eligendi, quam partem quis voluerit, facultatem includit; neque vix aliquod exemplum adduci poteſt, in quo verbum [*poſſum*] ſeu *in poteſtate mea eſt*, Anglicè [*I may*] immediatè præcedens coniunctionem diſiunctiuam [*aut*] iuxta communem phraſis Anglicanæ intellectum, eiuſmodi conditionem, ſeu liberam & licitam, eligendi vtramque partem ſi quis voluerit, poteſtatem non ſupponat: quando præſertim poſterior *diſiunctionis* pars quæ affirmatur, non minùs, quin potiùs magis certa eſt, quàm præcedens:

dens: Quod ſanè documentum prudens Lector pro doctrina *præſentis Clauſulæ* meliùs intelligenda obſeruare poterit, quippe quæ non aſſerit, quòd *Principes per Papam excommunicati vel depriuati poſſunt occidi aut deponi:* Tunc enim imaginari quis poſſet, ſenſum illius eſſe, quòd eiuſmodi *Principes* poſſunt per ſuos ſubditos occidi, aut ſaltem, ſeu ad minimum deponi: cùm minus ſit eiuſmodi *Principes* deponere, quàm occidere: Veruntamen cùm in hac Clauſula affirmetur, eiuſmodi *Principes* poſſe deponi aut occidi, ſatis perſpicuè conſtat. Coniunctionem diſiunctiuam [*aut*] non poſſe ſignificare ſaltem ſeu ad minimum, quandoquidem ſi doctrina de *deponendis* eiuſmodi *Principibus* tanquam *hæretica* abiurari queat, multo magis, & non multo minùs, doctrina de eiſdem *occidendis* tanquam *hæretica* abiurari poteſt.

6. Atque hinc perſpicuum eſt, quòd, vt hæc *conditionalis diſiunctiua* poſitio, *Principes per Papã excõmunicati vel depriuati poſſũt per ſuos ſubditos*

deponi aut occidi: Vel quæ eadem eſt, *Subditi poſſunt deponere aut occidere Principes per Papam excommunicatos vel depriuatos*, tanquam *hæretica* abiurari queat, ſatis ſit *ex vi verborum*, quòd doctrina tantùm de *occidendis* eiuſmodi *Principibus* tanquam *hæretica* abiuretur, tametſi *ratione materiæ*, vt ſtatim apparebit, non ſolùm doctrina de *occidendis*, verùm etiam de *deponendis* eiuſmodi *Principibus* tanquam *hæretica* licitè abiurari poſſit.

7. Quòd doctrina de *occidendis* eiuſmodi *Principibus* ſit *hæretica*, ſeu, quod idem eſt, manifeſtam contineat falſitatem *Verbo Dei* repugnantem, conſtat ex illis duobus Sacræ Scripturæ locis à *Widdringtono* citatis *Non occides*, Exodi 20. quæ verba generalia ſunt, & cuilibet *iniuſtæ occiſioni* communia: &, *Ne interficias eum. Quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit.* 1. Reg. 26. quæ verba propriè & ſpeciatim de *Principum occiſione* intelliguntur. Neque ſententia *Excommunicationis*, aut *deprivationis* per *Papam* lata *occiſionem Principum* licitam

tam reddit, seu licentiam aut facultatem alicui dat illos occidendi, quantumuis admitteremus, esse in *Papa* potestatem *Principes* depriuandi, vti etiam *Franciscus Suarez* aperte fatetur, quoniam *Excommunicatio* bonis tantùm spiritualibus, *depriuatio* autem temporalibus Regnis & Dominijs, sed neutra earum quenquam *vita corporali* priuat. Imnio hæc doctrina & positio, Quòd *Latro per Iudicis sententiam capite damnatus potest à quocunque occidi*, tanquam falsa, damnabilis, illisque Sacræ Scripturæ verbis, *Non occides*, repugnans, & proinde tanquam *hæretica* abiurari potest: propterea quòd sententia mortis contra eum à Iudice lata non tribuit cuicunque licentiam & potestatem reum interficiendi, sed tantùm Vice-comiti, aut alijs Iustitiæ Ministris, qui ad exequendam in eo casu Iudicis sententiam authoritate *Principis* constituti sunt.

Suarez in Defensione &c. lib. 6. cap. 4.

8. Quòd etiam doctrina de eiusmodi *Principibus* authoritate Papali *deponendis*, hæretica sit, seu manifestam falsitatem *verbo Dei* repugnantem

tem contineat, satis perspicuum est: Quoniam Principi Regnum & Coronam, quam indubiè possidet, per vim eripere, sub tituli, iuris, seu fundamenti aut potestatis non certissimæ, sed tantùm probabilis, & in controuersia positæ, prætextu, *aperta iniustitia* est, vt ex Quinto *Præludio* clarissimè constat, & consequenter *Furtum*, & *Rapina* in supremo gradu; & proinde *generatim* repugnans tum duobus illis *Decalogi* præceptis, *Non furtum facies*: *Honora Patrem tuum & Matrem*, in quo *honor* ille, & *reuerentia*, quam Subditi suo *Principi*, qui est *Pater Patriæ*, iure diuino & naturali debent, iuxta Theologorum omnium doctrinam, includitur; tum *speciatim* est contra illud *Christi Domini* præceptum, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; quod præceptum affirmatiuum etiam negatiuum continet, vt nimirum *Cæsari*, quod suum est, non auferamus: Sicut è contrario *Præceptum* illud negatiuum, *Non furtum facies*, etiam affirmatiuum includit, vt nimirum quod iniustè ablatum est, denuo restitua-

ſtituamus. Quapropter tam tutâ & ſecurâ conſcientiâ, & abſque omni prorſus ſcrupulo, prædictam doctrinam & poſitionem, tanquam *impiam*, *damnabilem*, atque *hæreticam*, abiurare licet, quâ licitum eſt, eam vt *manifeſtè falſam*, & *Principibus iniurioſam* abiurare; quandoquidem *manifeſta falſitas*, & *iniuſtitia*, quæ in illa continetur, *Verbo* & *præcepto Dei* in Sacris Scripturis reuelato aperte aduerſetur, atque etiam duobus illis certiſſimis principijs, quæq; abſque manifeſta impudentia negari non poſſunt, innitatur. Quorum *primum* eſt, quòd magna apud eruditos Catholicos controuerſia ſit, an *Papa* poſſit *Principes* deponere. *Alterum*, quòd *aperta iniuſtitia ſit*, aliquem deponere, ſeu è re illa, quam reipſa poſſidet, per vim extrudere, ſub prætextu poteſtatis, quæ non omnino certa eſt, ſed in controuerſia poſita.

9. Rogo denique Lectorem, vt *Tertiam*, & vltimam huius Clauſulæ *expoſitionem*, quam *Widdringtonus* in *Diſputatione Theologica* affert, eamque in Reſponſione ad *Thomæ Fitzherberti*

berti Replicationem copioſiùs confirmat, diligenter obſeruare velit: nempe, quòd tametſi *ratione materiæ* licitum ſit, doctrinam non ſolùm de *occidendis*, verùm etiam de *deponendis Principibus* per *Papam* excommunicatis vel depriuatis, pro *hæretica* abiurare; attamen, ſi *verborum* huius Clauſulæ *vim*, & efficaciam tantùm reſpiciamus, non tenemur, vel doctrinam de eiuſmodi *Principibus deponendis*, vel de illis etiam *occidendis*, pro *hæretica*, ſed ſolùm tanquam, ſeu veluti *hæreticam* abiurare: hoc eſt, pro doctrina valde falſa & iniurioſa, in ſupremo ferè falſitatis, & iniuſtitiæ gradu, quæque proinde, quod attinet ad deteſtationem & abiurationem eiuſdem, aliquam ſimilitudinem, & affinitatem cum doctrina verè *hæretica* habet, quantumuis vocabulum [*hæreticam*] in ſtrictiſſimo, & rigidiſſimo ſenſu accipiremus. Et ratio eſt, quoniam Aduerbium [*tanquam*] Anglicè [*as*] cùm ſit Aduerbium ſimilitudinis, propriè, & vſitatè, *ex vi* & efficacia *vocabuli*, ſolùm *ſimilitudinem* donotat; & ſi aliquando

do *identitatem*, *æqualitatem*, aut *realitatem*, ſignificet (vti nonnunquam ſed non adeo vſitatè denotat) id non eſt *ex vi*, ſeu efficacia *vocabuli*, ſed ratione, & *vi* duntaxat *materiæ*, cui applicatur.

10. Atque hæc *Expoſitio* optimè inſeruiet ad eorum pertinaciam reuincendam, qui, ex odio quo *Iuramentum* inſectantur, contra omnem penitus rationem, & contra regulas *ſuperiùs* ex *Franciſco Suarez* aſſignatas, contendere omnino velint, vocem hanc [*hæreticam*] pro ea tantùm doctrina accipiendam eſſe, quam definitio ſeu declaratio Eccleſiæ *hæreticam* facit, quæque ante talem declarationem *hæretica* non eſt, quantumcunque apertiſſimæ veritati in *Sacris Scripturis* contentæ manifeſtè aduerſetur: Et vocabulum [*Impiam*] pro ea tantùm doctrina, quæ pietati, ſoli *Deo*, & carnalibus *Parentibus* debitæ, repugnat, quantumcunque alioqui iniquiſſima, & *Principibus ſupremis*, qui *Patres* ſunt *Patriæ*, ſummè iniurioſa fuerit, omnino in hac Clauſula ſumendum eſſe. Optimè enim illis

Reſpon-

Reſpondere poſſumus, Aduerbium [*tanquam*] cùm ſit Aduerbium *ſimilitudinis*, ideoque ex *vi vocabuli*, & iuxta planum & communem eiuſdem ſenſum, *ſimilitudinem* duntaxat ſignificet, & non *realitatem*, *identitatem*, aut *æqualitatem*, niſi *ratione materiæ*, cui applicatur, in hac *Iuramenti* Clauſula ſolam *ſimilitudinem* illius rigidæ *hæreſeos*, & *impietatis* denotare: quandoquidem materia ad quam refertur, nequaquam permittit, vt doctrinam *Impiam*, & *hæreticam* in illo ſtricto & rigido ſenſu, ſed ſolùm per modum *ſimilitudinis*, & *comparationis* ſignificet. Et tunc ſenſus iſtius Clauſulæ eſt, me *abhorrere*, *deteſtari*, & *abiurare tanquam impiam & hæreticam*, id eſt, in maximo horroris, & deteſtationis gradu, non omnino abſimilis deteſtationi illius doctrinæ, quæ in illo ſtricto & rigido ſenſu *impia*, & *hæretica* reputatur. Veruntamen hæc *tertia Reſponſio*, vt iam ſupra oſtenſum eſt, non eſt neceſſaria ad hanc *Clauſulam* à falſitate vindicandam, ſed ſolùm ad eorum peruicaciam redarguendam, qui verba iſti-

us *Iuramenti*, ad ſenſum maximè odioſum, contra apertam *Legiſlatoris* mentem, & contra planum & communem eorundem verborum intellectum, ad quem *Septima* Iuramenti *Clauſula* Iurantem aſtringit, detorquere conantur.

CAPVT Quintum.

Quinta Iuramenti *Clauſula*, Eiuſdemque *Explicatio.*

ET vlteriùs credo, & in conſcientia mea reſoluor, quòd nec Papa, nec alia perſona quæcunque poteſtatem habet me ab hoc Iuramento, aut aliqua eius parte abſoluendi.

1. Hæc *clauſula* non maiorem continet difficultatem, quàm præcedentes, cùm veritatem & iuſtitiam *ſecundæ*, & *tertiæ Clauſulæ* ſupponat, illiſque tanquam fundamento innitatur. *Inprimis* igitur verbum illud [*credo*] non pro *fide ſupernaturali* & *diuina*, ſed tantùm pro *credulitate*, & *perſuaſione morali* (de qua in communi

muni ſermone intelligi ſolet) in hac *Clauſula* accipi debet, vt partim ex toto *Iuramenti* ſcopo ſeu tenore, in quo à nobis tantùm exigitur vera & ſyncera teſtificatio, recognitio, & declaratio, qualem habeamus in conſcientijs noſtris perſuaſionem de poteſtate *Papali Regem* deponendi, de dominijs eius diſponendi &c. & partim ex verbis proximè ſequentibus [*& in conſcientia mea reſoluor*] quæ ſenſum priorum explicant, manifeſtè apparet. Vt ſenſus ſit, firmiter teneo, & in conſcientia mea reſoluor, ſeu perſuaſum habeo, *quòd nec Papa, nec alia perſona quæcunque &c.* Neque enim æquum eſt imaginari, quòd verba coniunctionem copulatiuam immediatè ſequentia diminuant, quin potiùs amplificent, aut declarent veritatem præcedentium. Veluti ineptè loqui cenſeretur, qui diceret, *Et homo ſum, & animal. Poteſt* Papa Principes *occidere & deponere. Illud ita eſſe certiſſimè ſcio, & exiſtimo.*

2. *Secundò*, ſenſus huius *Clauſulæ* non eſt, negare poteſtatem *Papalem*

palem à Iuramentis *in vniuerſum*, ſed ſolùm ab hoc Iuramento *ſpeciatim*, aut ab aliqua eius parte abſoluendi, vti ipſamet expreſſa verba planè ſignificant. Neque ex eo quòd *Papa* ab hoc Iuramento abſoluere nequeat, rectè concludi poteſt, non poſſe eum ab alijs Iuramentis, quorum non eſt eadem ratio atque iſtius, abſoluere; vel quoniam ab alijs Iuramentis, in quibus longè diſpar eſt ratio, vtpote quæ nemini præiudicium afferunt, abſoluere queat, idcirco ab hoc etiam Iuramento abſoluendi poteſtatem illi competere.

3. *Tertiò*, neque ſenſus iſtius *Clauſulæ* eſt, quòd ſi fortaſſe quiſpiam praua conſcientia, aut temerè, & abſque prudenti conſilio Iuramentum ſuſceperit, *Papa* non habeat poteſtatem eum in foro Pœnitentiæ à à peccati vinculo, ſi quod commiſerit, abſoluendi: ſed ſenſus eſt, quòd *Papa* non habeat poteſtatem aliquem ab hoc iuramento aut aliqua eius parte abſoluendi, ſeu in eo diſpenſandi, hoc eſt, Iuramenti vinculum relaxandi, ſeu alicui licentiam tribuen-

di, vt vel vnum aliquod eorum, quæ in hoc Iuramento adimplere promiſit, non adimpleat. Nam vniuerſæ iſtius *Iuramenti* Clauſulæ, aut *aſſertoriæ* ſunt, vtputa, quòd *ſupremus Dominus noſter* Rex Iacobus *eſt verus & legitimus Rex huius Regni &c.* Et *quod* Papa *nullam habet poteſtatem vel authoritatem eum deponendi &c.* Et *quòd ex corde abhorreo deteſtor, & abiuro tanquam impiam, & hæreticam &c.* & ita de reliquis. Sed in Iuramentis *aſſertorijs* diſpenſatio contingere non poteſt, neque ab obligatione ſeu vinculo Iuramenti *aſſertorij* *Papa*, iuxta approbatam omnium Theologorum doctrinam, quenquam abſoluendi poteſtatem habet. Et ratio eſt, quia materia Iuramenti *aſſertorij*, ſeu, quod idem eſt, res illa quæ in eo affirmatur vel negatur, cũ ſit de actu præſenti vel præterito, in quandam neceſſitatem iam tranſijt, & immutabilis effecta eſt, quandoquidem vel ſtatim fuit verum, vel falſum Iuramentum propter veritatem aut falſitatem actus iam præteriti. Vnde cum fieri non poſſit, vt actus ille

le non ſit aut non fuerit, ita per *Pontificis* diſpenſationem ſeu abſolutionem mutari non poteſt. Fieri enim non poteſt, vt actus iurandi, qui iam eſt aut fuit verus vel falſus, non ſit aut non fuerit verus vel falſus. Aut *ſecundò* ſunt *promiſſoriæ*, in quibus nimirum aliquid de futuro adimplendum, vel non adimplendum promittitur: Atque in huiuſmodi Iuramenta *promiſſoria* tantùm diſpenſatio cadere poteſt. Nam, vt rectè ait *S. Thomas*, cum quo cæteri omnes Theologi in hoc conſentiunt, *Obligatio* Iuramenti *refertur ad aliquid, quod eſt faciendum vel dimittendum. Vnde non videtur reſpicere Iuramentum* aſſertorium, *quod eſt de præſenti vel de præterito, ſed tantùm* promiſſorium, *quod eſt de iis quæ ſunt fienda à nobis in futurum.* *S. Thom.* ſecunda ſecundæ q. 89. ar. 7. & 9.

4. Iam in iſto *fidelitatis* Iuramento tria tantùm adimplere promitto, quorum ſingula in *Tertia Clauſula* continentur. Videlicet, Quòd *non obſtante quacunque declaratione, vel ſententia Excommunicationis vel Deprivationis facta vel facienda per Pa-*

pam &c. contra Regem, Hæredes, aut Succeſſores ſuos, vel quacunque Abſolutione ſubditorum ab earum obedientia; Primò, *fidelitatẽ & veram obedientiam* ſuæ Maieſtati, *Hæredibus & ſucceſſoribus ſuis præſtabo.* Secundò, *Ipſum & ipſos totis meis viribus defendam contra omnes Conſpirationes, & attentata quæcunque &c.* Tertiò, *omnem operam impendam ipſi & ipſis reuelare & manifeſtas facere omnes Proditiones & proditores Conſpirationes, quæ contra illos aut aliquos illorum ad meam notitiam vel auditum pervenerint.* Quapropter non reperitur maior difficultas, in hac *quinta Clauſula*, quàm in *Tertia*, cum tota huius *Clauſulæ* veritas iuſtitiæ *Tertiæ Clauſulæ* tanquam fundamento innitatur. Atque hinc perſpicuè conſtat, non habere *Papam* maiorem authoritatem abſoluendi, ſeu diſpenſandi in aliquo ex *his tribus*, quæ iurans adimplere ſpondet, quàm habeat *Reges* & *Principes* deponendi, eoſque non *Reges*, ex Regibus efficiendi: cùm, vt ipſemet Card. *Bellarminus* fatetur, *negare Principi, dum Princeps eſt, veram fidelitatem &*

Bell. in Tract. contra *Barcla.* c. 21. pag. 202.

obe-

obedientiam (quæ quarumcunque proditionum detectionem & deteſtationem includit) *iuri diuino, atque etiam naturali aduerſetur*: quoniam, vt rectè aduertit *Suarez*, *obligatio obedientiæ in quocunque ordine vel ſtatu tantum durat in ſubdito quantum in Superiore durat dignitas, ſeu poteſtas, & Iuriſdictio, quia hæc ſunt correlatiua, & vnum ab alio pendet.*

Suarez in *Defenſ.* lib. 6. cap. 3. nu. 6.

5. *Quartò*, neque ſenſus huius *Clauſulæ* eſt, quòd *Papa* non habeat poteſtatem me ab hoc Iuramento *formaliter* tantùm ſumpto, id eſt, ab illis tribus quæ in *Tertia Clauſula* adimplere promiſi, tantùm cum hac *reduplicatione* vt iurata ſunt, ſeu, quod idem eſt, ſolùm à *ſacro* & *religioſo* Iuramenti *vinculo* abſoluendi, ſed ſenſus eſt, *Papam* non habere poteſtatem me abſoluendi ab obligatione adimplendi tria illa, quæ in hoc iuramento adimplere pollicitus ſum, videlicet non poſſe *Papam* mihi licentiam concedere, vt *non præſtem fidelitatem & veram obedientiam ſuæ Maieſtati; vt eum ab omnibus Proditionibus totis viribus non*

defendam; atque vt eas, *quando ad notitiam meam peruenerint, manifeſtas non faciam*: Tum quia quando dicitur *Papam* habere poteſtatem quenquam abſoluendi à Iuramento, quo aliquid adimplere promiſit, horum verborum ſenſus eſt (iuxta proprium & apertum eorundem intellectum, communem Theologorum doctrinam, & vſitatam *Summorum Pontificum* praxim, qui quando à *Iuramento* aliquo, vtputa *fidelitatis*, aliquem abſoluunt, eum ab omni vinculo & obligatione inibi contenta, tam ciuili, quàm religioſa relaxant) poſſe *Papam* illi licentiam concedere, vt illud, quod *Iuramento* pollicitus eſt, non adimpleat: Tum etiam quia *Rex* noſter *Sereniſſimus*, *Regnique Ordines* (ad quorum potiſſimùm mentem ambiguæ huius *Iuramenti* voces & ſententiæ, explicandæ & determinandæ ſunt) argutam hanc ingeniorum ſubtilium adinuentionem, parum, aut (vti veriſimile eſt) nihil curant, an ſcilicet *Papa* à *ſacro* tantùm, & *religioſo* naturalis fidelitatis *vinculo* ſubditos abſoluere in aliquo caſu queat,

Vide can. Nos *Sanctorum: Iuratos: & Abſolutos.*

queat, dummodo, non obſtante *religioſi* fidelitatis *vinculi* relaxatione, ſecuri reddantur, quòd *ciuile*, & *naturale* temporalis ſubditorum fidelitatis *vinculum*, ad quod vlteriùs confirmandum *Iuramentum* iſtud ſuperadditur, *indiſſolubile* prorſus, & *indiſpenſabile* maneat, neque per *Papæ* poteſtatem ſeu authoritatem relaxari aut diminui poſſit, ſed quòd ſubditi, quantumuis à *ſacro* fidelitatis *vinculo*, formaliter, vt *Iureiurando* eſt confirmatum, per *Romani Pontificis* authoritatem in aliquo forſan caſu abſolui queant, nihilominus ex *lege Dei*, & *Naturæ* fidelitatem & veram obedientiam *ſuæ Maieſtati* præſtare teneantur, neque per quamcunque Papæ authoritatem in ea diſpenſari, ſeu ab ea abſolui poſſint.

6. Et tametſi Diſputationis tantùm gratia admitteremus, verum & genuinum huius *Clauſulæ* ſenſum eſſe, quòd *Papa* nullam habeat poteſtatem, nedum à *ſacro* huius Iuramenti vinculo abſoluendi, ſeu quod idem eſt, ab illis tribus, aut eorum aliqui-

bus, quæ in *Tertia Clauſula* adimplere promitto, ſolùm cum hac *reduplicatione*, vt *iurata*, ſeu *Iuramento confirmata* ſunt (de qua ſubtili argutiuncula *Rex Regnique Ordines* (vti veriſimile eſt) ne ſomniarunt quidem.) Attamen poteſt quiuis ob rationes verè prudentes ſibi perſuadere, & in conſcientia reſolui, quòd *Papa* nullam talem abſoluendi authoritatem habeat: quandoquidem, iuxta communem Theologorum doctrinam, non poteſt *Papa* in Iuramentis abſoluere, ſeu in illis diſpenſare, quando eorum diſpenſatio in temporale alterius perſonæ præiudicium tendit, niſi de temporalibns illius perſonæ bonis diſponere directè aut indirectè queat. *Non* enim *poteſt* (aiunt *Sotus*, *Aragona*, *Sayrus*, & alij) *relaxare Iuramentum, quod homo homini præſtitit, ſoluendi quod ei debebat, quoniam facultatem non habet tollendi alteri quod ſuum eſt, & proinde nequit ei iniuriam inferre, cui præſtitum eſt Iuramentum, illud relaxando. Quapropter diſcrimen iſtud inter* Vota & Iuramenta *reperitur, quòd in commutatione & diſpenſatione*

Sotus lib. 8. de Iuſtit. 1. ar. 9. *Aragona* 2. 2. q. 89. ar. 9. *Sayrus* lib. 5. *Theſauri* cap. 8. nu. 4.

ſatione votorum, *ad id tantùm attendi debet, quod ſit Deo magis placitum, in* Iuramentis *autem relaxandis cauendum eſt iniuria, ne fiat tertiæ perſonæ.*

7. Et hoc magis manifeſtum eſt, iuxta doctrinam *S. Thomæ* & Thomiſtarum, quam plærique etiam Theologi amplectuntur, qui exiſtimant, *Summum Pontificem*, dum in votis & iuramentis diſpenſat, *ſacrum & religioſum vinculum*, cum ſit de *iure naturæ*, in quo *Papa* diſpenſare nequit, non diſſoluere *(eo modo quo plærique* (ait *Maldonatus*) *intelligunt diſpenſationem; ita enim ius diuinum & naturale abrogaret & penitùs ſolueret, vt vulgò ſit in multis diſpenſationibus, quod non eſt eſſe diſpenſatorem ſed diſſipatorem)* ſed Iuramentum duntaxat interpretari, declarando ſcilicet, rem illam Iureiurando promiſſam, quæ antea erat idonea materia Iuramenti, ideoque vi Iuriſiurandi adimplenda, quamdiu ita manet, iam ob particularem aliquem euentum, aut circumſtantiam, factam eſſe illicitam, nociuam, aut maioris boni impeditiuam, & proinde iam non eſſe idoneam Iuramenti

S. Thom. 2. 2. q. 89. ar. 9.

Maldonat. in Summula q. 15. ar. 21.

ramenti materiam, neque vi Iuramenti amplius adimplendam. Ex qua doctrina manifeſtè ſequitur, non poſſe *Papam* ab hoc Iuramento, aut aliqua eius parte quenquam abſoluere, niſi poteſtatem habeat declarandi, temporalem illam fidelitatem, quam Subditi *iure diuino* & *naturæ Principi* ſuo legitimo, quamdiu Princeps eſt, præſtare tenentur, eſſe illicitam, nociuam, aut maioris boni impeditiuam, quod ſanè declarare nullatenus poteſt, niſi ex *Principe* non *Principem* efficiendi authoritatem habeat. Nam conſequenter etiam declararet, *Deum* & *Naturam*, dum ſubditis præcipiunt, vt veram fidelitatem & obedientiam *Principibus* ſuis legitimis præſtent, aliquod illicitum, nociuum, aut maioris boni impeditiuum illis præcipere, quod eſt impoſſibile. Atque ita non reperitur maior difficultas in hac *Clauſula*, quatenus negat poteſtatem *Pontificis* ab hoc Iuramento aut aliqua eius parte abſoluendi, quàm in præcedentibus *Clauſulis*, quæ negant poteſtatem *Pontificis Reges* deponendi, & ſubditos

tos ab eorum obedientia & fidelitate abſoluendi.

8. Denique verba illa [*neque alia perſona quæcunque*] tametſi generalia ſint, *Regiam Maieſtatem* non cõprehendunt: Tum quia in iſtius Regni legibus, quando materia eſt pœnalis, & odioſa, *Regia Maieſtas* nomine *perſonæ*, aut *perſonarum* minimè denotatur: Tum etiam, quia, ſicut in nulla lege pœnali ipſemet *Princeps*, ſeu *Legiſlator* ſub verbis generalibus comprehenditur, quandoquidem eiuſmodi legibus ſubiectus non ſit, iuxta illud *Legis Ciuilis* axioma, *Princeps legibus ſolutus eſt*. Ita etiam quando lex aliqua generalibus verbis decernit, quòd nulla *perſona* quæcunque poſſit in ea lege diſpenſare, ſeu ab ea quenquam abſoluere, eamue abrogare aut immutare, verba illa generalia ipſummet *Legiſlatorem*, qui ſupra legem eſt, iuxta communem omnium intelligentiam, nequaquam comprehendunt. Quinimo, vt rectè obſeruant Ioannes *Salas*, & *Emmanuel Sa* Ieſuitæ, *in generali ſermone ſemper intelligitur excepta perſona loquens.*

Leg. *Princeps* ff. de *Legibus.*

Salas diſp. 21. de Legibus ſec. 3. regula 22. & *Sa* verbo. *Interpretatio* nu. 14.

9. Sed

9. Sed quamuis etiam admitteremus, verba illa [*neque alia perſona quæcunque*] *Regiæ Maieſtatis* perſonam includere, veritati tamen nequaquam repugnarent. Et ratio eſt; quia tametſi *ſua Maieſtas* cum ſubditis diſpenſare poſſit, ne Iuramentum iſtud ſuſcipiant, ſeu poſſit eos abſoluere ab obligatione Iuramentum iſtud ſuſcipiendi (qui non eſt proprius & genuinus huius Clauſulæ ſenſus) attamen poteſtatem non habet ab hoc Iuramento ſemel ſuſcepto quenquam abſoluendi, ſeu, quod idem eſt, nemini licentiam impertiri poteſt, non præſtandi ea, quæ ſe præſtiturum eſſe in hoc Iuramento promiſit, qui quidem verus & proprius eſt iſtius Clauſulæ ſenſus: Tum quia diſpenſare in Iuramentis, ſeu ab eis abſoluere (ſi verba *diſpenſandi* & *abſoluendi* propriè ſumantur, & in eo ſenſu in quo à Theologis communiter accipi ſolent) non ad poteſtatem temporalem, ſed ſolùm ad ſpiritualem Iuriſdictionem propriè ſpectat. Vnde Theologi inter *diſpenſationem*, & *abſolutionem Iuramenti*,

menti, & inter *irritationem*, *relaxationem*, *remiſſionem*, ſeu *condonationem* eiuſdem magnum diſcrimen conſtituunt: atque affirmant, quòd ad *irritandum*, *relaxandum*, & *remittendum* Iuramentum temporalis poteſtas, immo & nonnunquam priuata ſufficiat, veluti Parentes filiorum, & Tutores pupillorum vota ac Iuramenta remittunt, ſed ad *diſpenſandum* in votis, aut Iuramentis, ſeu ab illis *abſolnendum* Iuriſdictio ſpiritualis omnino requiratur: Tum potiſſimùm quia non poteſt *ſua Maieſtas* per vllam poteſtatem *Regiam*, aut temporalem, ſubditos à temporali ſua fidelitate vllatenus liberare, cùm ex *lege Dei*, & *Naturæ* veram fidelitatem & obedientiam temporalem *Principi* ſuo legitimo, quamdiu Princeps manet, præſtare teneantur: Et proinde non poteſt *ſua Maieſtas*, quenquam ſubditorum à vinculo huius Iuramenti, aut alicuius illius partis abſoluere, ſeu liberare: vel, quod idem eſt, non poteſt illis licentiam tribuere, vt *veram fidelitatem*, & *obedientiam* illi non præſtent, & con-

conſequenter, vt *Maieſtatem ſuam* contra omnes Conſpirationes &c. totis viribus non defendant, eaſque non reuelent, nec manifeſtas faciant; quandoquidem ad hæc omnia adimplēda ſubditi ex *lege Dei* & *Natura*, in qua nulla poteſtas humana ſiue ſpiritualis ſiue tēporalis diſpenſare poteſt, obligati manent. Et propterea *Author* Apologiæ *Proteſtantium* pro *Eccleſia Romana* optimè affirmauit, *nos omnes Catholicos ex legum omnium tam Diuinarum, quàm humanarum præſcripto*, Sereniſſimo Regi *noſtro* Iacobo, *tanquam vero noſtro, indubitato, & legitimo Regi, ac Domino ſupremo indiſſolubiliter in ſupremo totius mundanæ ſubiectionis gradu deuinctos eſſe.*

Tract.3.ſec.5.

CAPVT Sextum.

Sexta Iuramenti *Clauſula*, Eiuſdemque *Explicatio.*

QVod Iuramentum agnoſco recta ac plena authoritate eſſe mihi legitimè miniſtratum; omnibuſq; Indulgentijs.

gentijs ac diſpenſationibus in contrarium renuncio.

1. Hæc *Clauſula* nullam planè difficultatem in ſe continet, ſi ea, quæ *ſuperiùs* dicta ſunt, diligenter conſideremus, videlicet, quòd in *hoc Iuramento* ſyncera fidelitatis verè temporalis profeſſio duntaxat contineatur, & nulla authoritas, vel obedientia ſpiritualis *Papæ* debita in eo denegetur; Et quòd tractare de poteſtate *Papæ* non *affirmatiuè* quam ſcilicet authoritatem habeat, ſed *affirmatiuè*, quæ authoritas in temporalibus ſuper hoc Regnum, eiuſque ſubditos *Regiæ Maieſtati* competat, & conſequenter *negatiuè*, quæ authoritas in temporalibus ſuper hoc Regnum eiuſque ſubditos *Romano Pontifici* non debeatur: Atque inſuper quòd exigere à ſubditis *fidelitatis Iuramentum*, non ſolùm in *generali*, verùm etiam tale in *particulari* fidelitatis *Iuramentum*, quod *Rex*, *Regnú*, *Ordines* rationibus verè prudentibus moti neceſſarium eſſe iudicauerint ad Regnum à futuris Proditionibus, Inuaſionibus, & perturbationibus

præ-

præſeruandum, dummodò fidelitatis verè temporalis cancellos non egrediatur, poteſtatis verè temporalis terminos non excedat.

2. *Inprimis* igitur, per verba illa [*recta ac plena authoritate*] non intelligitur vlla *Regis* poteſtas vel authoritas in cauſis Eccleſiaſticis, ſed ſolùm in temporalibus, qualis eſt *Iuramenti fidelitatis* verè temporalis miniſtratio. Nam tametſi *ſua Maieſtas* firmiter ſibi perſuadeat, rectam, plenam, & ſupremam authoritatem non ſolùm in cauſis temporalibus, ſed etiam in Eccleſiaſticis, quantum ſpectat ad externam & forenſem gubernationem, ſibi in hoc *Anglie* Regno competere; neque *Romanum Pontificem* vllam in hoc Regno authoritatem vel Iuriſdictionem ſpiritualem in ſeipſum, ſuoſue ſubditos, aut vllam *Regem* excommunicandi poteſtatem ex *Chriſti* inſtitutione habere; noluit tamen in *hoc Iuramento*, vel cum ſuo, vel cum *Pontificis* Primatu in cauſis Eccleſiaſticis ſeſe immiſcere, ſed ſolùm cum ſuprema ſua in temporalibus poteſtate, & conſequenter

quenter cum potestate *Pontificis* eum non deponendi, & de dominijs eius non disponendi &c. Quapropter, vt *superius* in Tertio *Præludio* annotaui, inter opinionem, persuasionem, aut fidem *suæ Maiestatis*, & inter voluntatem, mentem, seu intentionem ipsius magnum discrimen constituendum est: Neque enim illi animus erat totum illud à subditis suis in *hoc Iuramento* exigere, quod ab illis licitè exigi posse firmiter sibi persuasum habet; sed illius duntaxat obedientiæ temporalis, quam subditi omnes ex lege *Dei Principibus* suis supremis exhibere tenentur, professionem in *isto Iureiurando* à subditis postulare illi institutum erat, vt ex declaratione tum *suæ Maiestatis*, tum *Regni Ordinum* manifestè apparet; & propterea tanto studio cauebat *Rex*, ne vlla prorsus potestatis *Pontificiæ* eum non excommunicandi in *hoc Iuramento* mentio haberetur.

3. *Secundò*, tametsi *Principes* Christiani authoritatem non habeant definiendi & determinandi, quæ doctrina aut positio *hæretica* sit, vel

hæreticos pœnis ſpiritualibus coercendi (hæc enim merè ſpiritualia ſunt & ad poteſtatem ſpiritualem ſolummodò ſpectant) certum tamen eſt, eos authoritatem habere ſubditis ſuis præcipiendi, vt eas propoſitiones quæ vel iam ab Eccleſia definitæ, vel manifeſtè falſæ, & Sacræ Scripturæ repugnantes cognitæ ſunt, tanquam tales abiurent, atque etiam pertinaces earundem propugnatores pœnis temporalibus caſtigandi; quatenus præſertim eiuſmodi poſitionum propugnatio vergit in malum Reipublicæ, cuius cura Regi incumbit, & qui proinde non ſolùm per modum defenſionis, ſed etiam *authoritatiuè*, vt loquitur *Victoria*, & per gladium materialem poteſt Regnum ſuum & ſubditos defendere ab iniurijs Clericorum, & abuſum etiam gladij ſpiritualis repellere, quando eiuſmodi abuſus graue Reipublicæ damnum, & paci publicæ nocumentum affert, vti *Ioannes Pariſienſis*, *Victoria*, & *Couerruuias* egregiè obſeruarunt. *Rex* enim, ait *Dominicus Bannes*, *punit hæreticos*, *vt hoſtes ſeditioſiſſi-*

Ioan. Pariſ. de poteſt. Reg. & Pap. cap. 11. ad 37.
Victoria Relect. 1. de poteſt. Eccleſ. ſec. 7. §. *Octaua propoſ.*
Couer. cap. 35. pract. quæſt.
Bannes 2. 2. q. 11. ar.

tiosissimos contra pacem Regni, quæ sine vnitate Religionis seruari non potest. Et *cum* Matrimonium, ait *Dominicus Sotus, sic sit Sacramentum, vt sit etiam ciuilis contractus, nihil vetat, quo minus, vt priori ratione ad forum Ecclesiasticum spectat, posteriori, ciuili etiam aliquatenus subdatur: Non quòd* Principes *ea possint, quæ sunt de* Matrimonij *substantia, demutare, sed tamen quòd valeant contrahentes mulctare, vbi in bonum publicum contrahendo deliquerint: nam possunt delictis, quorum iudicium ad Ecclesiasticum tribunal pertinet, supplicia etiam, quatenus pacem Reipublicæ perturbant, decernere.* Quæ quidem *Soti* assertio pari omnino ratione ad *hæresin* applicari potest, quæ *cùm sic spiritualis offensa sit, vt etiam Reipublicæ ciuilis pacem temporalem perturbet, nil vetat, quo minùs, vt priori ratione ad forum Ecclesiasticum spectat, posteriori, ciuili etiam aliquatenus subdatur. Non quòd* Principes *possint, quid sit* hæresis, *determinare, sed tamen quòd valeant hæreticos mulctare, vbi in bonum publicum hæreticas positiones defendendo*

Sot. in 4. d. 28. q. 1. ar. 4.

deliquerint; nam poſſunt delictis, quorum iudicium ad Eccleſiaſticum tribunal pertinet, ſupplicia etiam, quatenus pacem Reipublicæ perturbant, decernere. Et propterea *Principes* Chriſtiani *rectam, & plenam authoritatem* habent compellendi ſubditos ſuos, vt poſitiones impias, damnabiles, hæreticas, & ſeditioſas, tanquam tales abiurent, quando neceſſarium eſt ad pacem publicam conſeruandam, atque ad dignoſcendum, quo animo, eorum ſubditi in ijs, quæ ad debitam ſuam fidelitatem & obedientiam temporalem ſpectant, afficiantur.

4. *Tertiò*, manifeſtum eſt, & communi Doctorum etiam *Societatis Ieſu* Theologorum calculo confirmatum, Clericos ſeu Eccleſiaſticos, (cùm ratione natiuitatis, aut domicilij in ciuili Societate degentes, ciuilis Reipublicæ partes & membra ſint, & proinde *Principibus temporalibus*, qui Reipublicæ ciuilis Capita, & ſupremi Domini ſunt, ſubijciantur, &, iuxta communem Theologorum doctrinam, ad iuſtas *Principum*

pum leges, non solùm *vi rationis*, sed etiam *vi legis*, obseruandas obligentur) ad veram fidelitatem, & obedientiam temporalem *Principi* suo naturali, non minùs quàm Laicos, præstandam, ex lege diuina & naturali omnino deuinctos esse: Et consequenter posse Principem temporalem, quando, ob rationes *verè* prudentes, & probabiles, subditorum fidelitatem suspectam habet, ab illis, quatenus Reipublicæ ciuilis, cuius ipse Caput est, membra & partes sunt, & *Principi* verè subiecti, fidelitatis & obedientiæ suæ temporalis Iusiurandum postulare. Quòd si aliqui forsan Ecclesiastici adeo leues, aut pertinaces essent, vt contra *Ecclesiæ primitiuæ* praxim, *antiquorum Patrum* doctrinam, & euidentissimam rationem, hanc cogitationem in animo infixam haberent, se *Principum Secularium* potestati nullatenus subiectos esse, atque inde dubitationem aliquam, aut scrupulum sibimet injcerent, se *Iuramentum* istud tanquam *recta* & *plena authoritate* sibi legitimè ministratum suscipere non

poſſe, hoc tamen nihil omnino impedit, quo minùs *Iuramentum* iſtud ex ſua natura licitum ſit, aut quod *Laici* illud licitè ſuſcipere non queant, atque etiam profiteri, illud *recta, & plena authoritate ſibi legitimè miniſtratum eſſe.*

5. *Denique*, per illa verba [*omnibuſque Indulgentijs, ac diſpenſationibus in contrarium renuncio*] non negatur *Papæ* poteſtas generatim *Indulgentias*, aut *diſpenſationes* concedendi; ſed, vt ipſamet verba apertè ſignificant, nihil aliud per ea denotatur, quàm *Papam* non habere poteſtatem mecum in hoc Iuramento, aut aliqua eius parte diſpenſandi, ſeu, me ab illo, aut aliqua eius parte abſoluendi; & conſequenter neque mihi indulgentiam aut licentiam concedendi, vt ea quæ in hoc Iuramento pollicitus ſum, non adimpleam. Si enim *Papa* nullam poteſtatem vel authoritatem habeat me ab aliqua parte huius *Iuramenti* abſoluendi, quandoquidem tria illa antea ſæpiùs commemorata, quæ adimplere promitto, ex *lege Dei*, & *Naturæ* adimplere tenear,

near, neque in ijs vlla poteſtas humana, ſiue temporalis, ſiue ſpiritualis, diſpenſare queat, manifeſtè conſequitur, me omnibus Indulgentijs, & diſpenſationibus in contrarium renunciare tutâ conſcientiâ poſſe.

CAPVT Septimum.

Septima Iuramenti *Clauſula*, Eiuſdemque *Explicatio.*

HÆcque omnia planè ac ſyncerè agnoſco, & iuro iuxta hæc expreſſa verba à me prolata, & iuxta planum & communem ſenſum & intellectum eorundem verborum, abſque vlla æquiuocatione, aut mentali euaſione, aut ſecreta reſeruatione quacunque.

1. Hæc *Clauſula* plurimùm obſeruanda eſt, eo quòd expreſſis verbis declaret, in quo ſenſu ille, qui Iuramentum præſtat, ſingulas illius partes, & clauſulas ſuſcipere teneatur. Et *primò* manifeſtum eſt ex illis verbis [*hæcque omnia planè ac ſyncerè agnoſco & iuro*] immediatum iſtius Iu-

ramenti, & singularum illius partium obiectum, seu, quod idem est, rem illam, quam in omnibus & singulis præcedentibus clausulis directè & immediatè Iureiurâdo confirmo, esse meam planam ac synceram agnitionem, videlicet, quòd *Supremus Dominus noster Rex* Iacobus *est legitimus & verus Rex huius Regni* &c. Et quòd *Papa nullam habeat potestatem, vel authoritatem* Regem *deponendi &c.* Et quòd *non obstante vlla declaratione, vel sententia Excommunicationis aut deprivationis facta vel facienda &c. fidelitatem & veram obedientiam præstabo* suæ Maiestati &c. Et quòd *ex corde abhorreo, detestor, & abiuro tanquam impiam & hæreticam* &c. Et quòd *credo & in conscientia mea resoluor* &c. Et quòd *istud Iuramentum recta & plena authoritate sit mihi legitimè ministratum.* Et quòd *omnibus Indulgentijs & dispensationibus in contrarium renuncio.* Vnde Iuramentum ita concludit: *Hancq; recognitionem & agnitionem facio cordialiter &c.* Adeo vt planus, apertus & proprius huius *Clausulæ* sensus sit, me, quæ-

quæcunque in *hoc Iuramento* profiteor & agnoſco, *planè & ſyncerè* Iureiurando interpoſito *profiteri & agnoſcere, iuxta hæc expreſſa verba à me prolata* &c.

2. *Secundò*, Senſus horum verborum [*abſque vlla æquiuocatione* &c.] non eſt, non reperiri in hoc Iuramento vlla verba æquiuoca, quæque duas, eaſque proprias & vſitatas ſignificationes habere non queant, præſertim ſi verba per ſe ſola, nudè & ſolitariè accipiantur (Nam ſi ea conſideremus, prout in *hoc Iuramento* cum alijs verbis iunguntur, & cum illis vnam integram & perfectam ſententiam componunt, atque etiam mentem *Legiſlatoris* cum cæteris obſeruationibus ſuprà commemoratis diligenter attendamus, vix aliquam ſententiam adeo ambiguam & æquiuocam reperiemus, vt, iuxta communem hominum intelligentiam, duos ſenſus æquè proprios & vſitatos reddat.) Sed proprius, planus, & apertus horum verborum ſenſus eſt, non oportere Iurantem æquiuocare, vel vti æquiuocatione, mentali euaſione,

ſione, aut ſecreta reſeruatione quacunque: ſed debere eum planè & ſyncerè, & iuxta mentem *Legiſlatoris* in hoc Iuramento procedere. Aliud enim eſt *æquiuocare*, ſeu vti æquiuocatione, & aliud *vti verbis æquiuocis*, quoniam ſæpe contingit, vt quis verbis vtatur æquiuocis, non tamen audientem fallat aut decipiat, cùm verbis illis in eo ſenſu vtatur, in quo audiens illa intelligit. Sed *æquiuocare*, ſeu vti æquiuocatione, fraudulentum, doloſum, & minimè ſyncerum procedendi modum denotat, vtendo verbis de induſtria ad decipiendum, in alio ſenſu, quàm in quo audiens ea intelligit.

3. Quapropter proprius & apertus huius Clauſulæ ſenſus eſt, quòd, tametſi in hoc Iuramento plures eorundem verborum ſignificationes, eæque propriæ & vſitatæ reperiri poſſent, ille tamen qui Iuramentum ſuſcipit, *æquiuocare* non debeat, ſed verba in eo ſenſu accipere, in quo *Legiſlator* (cum quo ex vi huius Clauſulæ planè & ſyncerè abſque vlla fraude, dolo, euaſione, aut ſecreta reſer-

reſeruatione agere tenetur) ea intelligere cognoſcatur. Quòd ſi forſitan de voce aliqua, aut ſententia ambigua in hoc Iureiurando contenta difficultas aliqua oriretur, neque mens, intentio, & voluntas *Legiſlatoris* ſatis cognoſci poſſet, tunc vtendum eſt illis regulis, quas ſuperiùs, iuxta approbatam omnium Theologorum, & Iuriſprudentium doctrinam, ad ambigua legum verba interpretanda ex *Franciſco Suarez* retulimus. Atque inter cæteras, quòd in Lege pœnali & materia odioſa ſenſus ille, qui mitior & fauorabilior eſt, nullamque in ſe continet abſurditatem, eligi inprimis debeat.

4. Quoniam igitur, iuxta Theogorum omnium doctrinam, non eſt licitum *æquiuocare*, vel vti æquiuocatione, ſed reſpondendum eſt planè, ſyncerè, ad mentem & intentionem Iudicis, quotieſcunque iuridicè procedit, neque quidquam in iuſtum vel illicitum interrogat, & ad quod interrogandum poteſtatem habet, ſatis conſtat, veritatem huius Clauſulæ ex veritate & iuſtitia ipſiuſmet Iuramenti,

menti, atque ex authoritate eorum, qui illud ſanxerunt, omnino pendere: Et proinde nullam planè de hac Clauſula difficultatem eſſe poſſe, ſi ſemel ſupponamus, præcedentes Clauſulas veritati & iuſtitiæ conſonas eſſe, & *Iuramentum* iſtud *rectâ & plena authoritate eſſe legitimè miniſtratum.*

CAPVT Octauum.

Octaua, & *Vltima* Iuramenti *Clauſula*, Eiuſdemque *Explicatio.*

HANCQ recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè & verè in vera fide Chriſtiani viri. Sic me Deus adiuuet.

1. Ex primis huius Clauſulæ verbis ſatis perſpicuum eſt, immediatum obiectum iſtius Iuramenti, ſeu illud quod in ſingulis propoſitionibus in hoc Iuramento contentis immediatè & directè affirmo aut nego, non eſſe veritatem aut falſitatem earum propoſi-

poſitionum ſecundùm ſe & à parte rei conſideratam, ſed eſſe ſolummodò meam agnitionem, recognitionem, & declarationem quam de ipſarum veritate aut falſitate facio. Neque iſtius Clauſulæ ſenſus eſt, oportere quemlibet adeo cordialiter, & voluntariè Iuramentum ſuſcipere, vt ad illud ſponte, & abſque eo quòd illi ex legis præſcripto miniſtratum fuerit, præſtandum ſeſe vltrò offerre teneatur, ſed ſolùm ſe illud cordialiter & voluntariè ſuſcepturum eſſe, ſi legitima authoritate ſibi fuerit miniſtratum. Veritas autem huius Clauſulæ ex priorum Clauſularum veritate & iuſtitia ex toto dependet, vti manifeſtiſſimè apparebit, ſi ſemel ſupponamus, quod anteà perſpicuè comprobauimus, Iuramentum iſtud tum veritati tum iuſtitiæ conſentaneum eſſe, & ſub pœnis grauiſſimis legitima authoritate miniſtratum, ad dignoſcendum quo animo *Maieſtatis ſuæ* ſubditi, quod attinet ad debitam ſuam fidelitatem & obedientiam temporalem, affecti maneant. Etenim, vt *Gabriel Vaſquez*, cum quo cæteri

Vaſquez. 1.2. diſp.51.cap.3. & diſp.73.ca. 7. & diſp. 86. cap.5.

Ariſtot. 2. Ethic. cap. 4.

cæteri Theologi & Philoſophi in hoc conſentiunt, ex doctrina *Ariſtotelis* optimè obſeruat, ad hoc vt actus virtutis ſit moraliter bonus & ſtudioſus, non ſolùm requiritur, vt ſit circa bonum obiectum, ſed debet etiam directè ferri in ipſam obiecti honeſtatem propter ipſam, & non propter alium finem, vel propter aliam rationem motiuam. Nam alioquin ſi quis exercet opera virtutum, vt *iuſtitiæ*, aut temperantiæ, non intuitu *iuſtitiæ* aut *temperantiæ*, ſed ob alium finem, vtputa ob lucrum, vanam gloriam, pœnæ metum, aut aliud quodcunque motiuum, *faciet iuſta & temperantia*, ait Ariſtoteles, *ſed non iuſtè aut temperanter*, neque ob illas actiones vir *iuſtus* aut *temperans* reputabitur. Quoniam igitur quilibet vir bonus & iuſtus bonas & iuſtas leges obſeruare debet, non ob metum pœnæ, vt impij eas obſeruant, ſed cordialiter, voluntariè, & verè (id eſt, non fictè) ob virtutis & honeſtatis amorem, manifeſtum eſt, quemlibet bonum & fidelem ſubditum poſſe & debere iſtud *Iuramentum*,

tum, poſito quòd ſit licitum, & recta ac plena authoritate illi legitimè miniſtratum, cordialiter ac voluntariè, & non ob ſupplicij metum, ſuſcipere: Sicut etiam Dei leges & præcepta non ob metum gehennæ, ſed cordialiter, voluntariè, & verè (ſeu non fictè & ſimulatè) ob virtutis, honeſtatis, religionis, & obedientiæ amorem obſeruare tenemur.

2. Atque hinc perſpicuè conſtat, quemlibet bonum & fidelem ſubditum debere iuſtas ſui Principis leges, tametſi ſub pœnis grauiſſimis ſancitas, magis voluntariè & cordialiter obſeruare, quàm Mercator tempeſtatis tempore proijcit merces in mare, vt periculum ſubmerſionis deuitet: quoniam Mercator ille ea tantùm de cauſa voluntariè & cordialiter merces ſuas in mare proijcit, eo quòd mortem effugere, vt ipſemet tunc exiſtimat, alioquin effugere non valeat. Sed quilibet vir bonus & ſtudioſus leges iuſtas voluntariè, cordialiter & ſyncerè obſeruare tenetur, ob virtutis & obedientiæ amorem, quantumuis cuiuſcunque ſupplicij periculum,

ſi

si eas transgrederetur, effugere alioqui posset.

3. Ex his omnibus manifestè apparet, *nouo* huic fidelitatis *Iuramento* neque *Veritatem*, neque *Iustitiam*, neque *Iudicium* deesse: siue eos qui illud præstant, siue qui præstandum lege publica sanxerunt, respiciamus. Quòd *Rex*, *Regniq; Ordines*, supposita illa plus quàm barbara puluueris sulphurei coniuratione, quam Proditores illi sub velo Religionis, & potestatis Pontificiæ de Coronis & Capitibus *Principum* temporalium in ordine ad bonum spirituale disponendi, ab omni culpa excusare prætendebant, iustissima & vrgentissima ratione inducti erant, (& proinde neque *Iudicium* illis defuerit) ad *nouum* fidelitatis *Iuramentum*, in quo talis *Pontificiæ potestatis* mentio haberetur, excogitandum, vt inter subditos fideles & nequaquam turbulentos, & inter eiusmodi nefarios proditores, qui sulphureæ conspirationis disciplinæ adhæresçunt, verum & apertum discrimen constituerent, ex *quarto Præludio* manifestum est.

Quòd

Quòd etiam Subditi ob rationes *verè* prudentes *Iuramentum* iſtud ſuſcipere & poſſint & debeant, poſito quòd ſit licitum, & recta ac plena authoritate illis legitimè miniſtratum (& proinde neque etiam illis iſlud debito præhabito examine ſuſcipientibus deeſſe *Iudicium*) tam euidenter conſtat, quàm clarum eſt, & euidens, nullum eſſe *Iudicij* defectum in Subdito, qui Superioris legitimi leges & mandata obſeruat, poſtquam id quod præcipitur iuſtum & licitum eſſe, maturo præhabito conſilio, animaduerterit. *Denique*, quòd nulli *aſſertoriæ* huius Iuramenti *Clauſulæ* deſit *Veritas*, & nulli *promiſſoriæ* deſit *Iuſtitia*, ſeu, quod idem eſt, nulla omnino iſtius Iuramenti Clauſula vel *Veritati*, vel *Iuſtitiæ* repugnans ſit, ex præcedenti ſingularum illius partium *Explicatione* ſatis manifeſtum eſt.

CAPVT Nonum & Vltimum.

In quo *Breuia Apostolica* Iuramentum prohibentia breuiter & dilucidè explicantur, & quædam *Senatus Parisiensis* Decreta aduersùs doctrinam de *Principibus* authoritate *Papali* deponendis ad verbum referuntur, & ab omni iniustitia vindicantur.

1. RElíquum iam est, vt vnicam tantùm difficultatem dissoluamus circa *Breuia Apostolica*, quæ Iuramenti susceptionem prohibent, eo *quòd multa in se contineat, quæ fidei & saluti apertè aduersantur.* Et quantumuis *Widdringtonus* in *Disputatione Theologica*[a]. sed fusiùs in *Responsione* ad *Thomam Fitzherbertum*[b]. hanc difficultatem clarissimè enodauerit, non tamen abs re erit quædam generalia

a cap. 10. sec. 2

b 3. part. c. 17.

neralia *Responsionis* suæ, ad prædictas *Summi Pontificis* literas, capita hoc loco Lectori proponere, ex quibus vir quilibet eruditus dilucidè perspiciet, qua ratione licitum sit bonis ac pijs Catholicis, absque vlla inobedientiæ vel irreuerentiæ erga *Sedem Apostolicam*, nota, tam *Breuia* prædicta, quàm cætera eiusdem generis non solùm non admittere, verum etiam illis penitùs resistere, & repugnare.

2. *Inprimis* igitur *Widdringtonus* ex approbata *Francisci Suarez*, & aliorum Theologorum doctrina perspicuè commonstrat, *duo* præceptorum, seu legum *genera* distinguenda esse. *Primum* appellari solet *merè constitutiuum*, eo quòd non supponat, sed constituat, & efficiat actionem, quam prohibet, illicitam, quæque nisi lege illa aut præcepto prohiberetur, illicita non foret. Cuius generis sunt, *Præceptum Ecclesiæ* de abstinendo à comestione carnium tempore Quadragesimæ, & ab operibus seruilibus exercendis diebus quibusdam festiuis, & de Sacramento Eu-

Suarez. lib. 3. de *Legibus* ca. 14.

chariſtiæ ſuſcipiendo tempore Paſchatis, & eiuſmodi: Nullumque *conſtitutiuum* Eccleſiæ præceptum ex ſui natura vim obligandi habere, quotieſcunque ex eius obſeruatione probabile aliquod periculum magni temporalis, aut corporalis nocumenti illud obſeruanti proueniet. *Alterum præceptum* dicitur *declaratiuum*, eo quòd non conſtituat & efficiat, ſed ſupponat & declaret, actionem quam prohibet, eſſe illicitam, vtpote priori aliqua lege aut præcepto prohibitam; Cuiuſmodi ſunt leges humanæ de non furando, non occidendo, non mæchando, vſuras non committendo &c. quandoquidem prædicta omnia diuina & naturali lege antea prohibita fuerint: Atque obligationem *præcepti declaratiui* ex ratione, ob quam actio prohibetur, & ex obligatione prioris præcepti (quòd in *præcepto declaratiuo* ſupponitur & declaratur) omnino pendere: Adeo vt ſi ratio illa, ob quam præceptum imponitur, vera non ſit, neque reperiatur tale præcedens præceptum, quale in *præcepto declaratiuo* ſupponi-

tur

tur & declaratur, eiusmodi *præceptum declaratiuum* nullius planè roboris esse, neque vllam penitus obligandi vim habere.

3. *Secundò* commonstrat, *Breuia Apostolica*, quæ Anglis Catholicis præcipiunt, vt *Iuramentum* istud non suscipiant, non continere præceptum aliquod *merè constitutiuum*, sed duntaxat *declaratiuum*, neque efficere, sed supponere & declarare Iuramentum esse illicitum, *eo quòd multa contineat* (sunt enim verba *Breuium*) *quæ fidei & saluti apertè aduersantur*. Et proinde si nihil in Iuramento contineatur, quod fidei & saluti repugnans sit, vti prædicta *Breuia* supponunt & declarant, satis constat, quòd *Breuia* illa, cùm in falsa ratione, suppositione, & declaratione fundentur, non possint Anglos Catholicos ad Iuramentum istud recusandum obligare.

4. *Tertiò* commonstrat, *Breuia declaratiua* vel esse *definitiua*, seu in certa aliqua *Papæ* aut *Concilij* definitione fundata, vel solùm *opinatiua*, seu probabili Pontificis aut aliorum opi-

nione & persuasione tanquam fundamento nixa: Et si in opinione tantùm *Pontificis*, aut aliorum etiam fundentur, neminem ad illis obtemperandum teneri, sicut neque ad opinionem cui innituntur amplectendam: sed tam licitum esse illis contradicere, quam licitum sit opinioni *Pontificis*, quantumcunque probabilis iudicetur, repugnare. Atque ob hanc rationem & fundamentum, licitum fuisse Catholicis contradicere *declaratiuis Nicolai* Papæ primi literis,[c] in quibus declarauit, *Baptismum in nomine tantùm Christi collatum absque expressione trium personarum, ratum & validum esse*: atque etiam *declaratiuis Celestini* tertij literis[d], in quibus (non solùm vt *Doctor*, sed etiam vt *Summus Pontifex* definiendo, si *Alphonso* de *Castro* credendum est) declarauit, *Matrimonij vinculum ita per hæresim solui, vt liceat ei aliud coniugium inire, cuius prior coniunx in hæresim lapsus esse noscitur*; quæ tamen doctrina iam in *Concilio Tridentino*[e] condemnata est: Atque etiam declaratiuis literis *Ioannis* Papæ XXII. qui

[c] De *consecr.* dist. 4. cau. *A quodam Indæo.*

[d] Olim in cau. *Laudabilem* de *conuers. coniugat.* sed iam expunctę sunt. *Castro* lib. 1. de *hæres.* cap. 4.

[e] Sess. 24. de *Reformat.* c. 5.

qui palam docuit & declarauit [d], *animas Beatorum non clarè visuras Deum ante Resurrectionem*; Atque etiam declaratiuis *Bonifacij* Papæ VIII. literis, in quibus declarauit [f] *Philippum Pulchrum*, Regem Francorum, *sibi in spiritualibus & temporalibus esse subiectum, & se illud non credentes hæreticos reputare.*

d Vide *Castro* lib. 3. contra *hæreses* verbo *Beatitudo* hæres. 6. *Bell.* lib. 4. de *Rom. Pont.* cap. 14. *Hadrian. VI. Pont.* in q. de *Conf.* circa finem.

f Vide *Nicola. Vignerium* ad annum 1300.

5. *Quartò* commonstrat, *declaratiua* Summi *Pontificis Breuia*, quæ Iuramenti susceptionem prohibent, eo quòd *multa contineat, quæ fidei & saluti apertè aduersantur*, neque esse *definitiua*, cùm non ad totam Ecclesiam, sed ad vnius tantùm Regni Catholicos dirigantur, neque in ijs reperiantur regulæ illæ & conditiones, quæ, iuxta Card. *Bellarmini* & aliorum Theologorum doctrinam, ad veram & infallibilem definitionem (de qua sola in præsenti loquimur) omnino requirantur. Et tametsi *definitiua* essent, cùm tamen probabilè admodum sit (vt suprà [g] ostendimus) non competere Summo *Pontifici* authoritatem infallibiliter definiendi absque *Concilij Oecumenici* approba-

Bellar. lib. 2. de *Concil.* cap. 12.

g cap. 2. nu. 2.

tione, neminem magis teneri illius definitioni fidem adhibere, quàm probabilem ipsius opinionem sequi teneatur, cùm definitio solius *Pontificis* rem, quam definit, extra omnem controuersiam & opinionem constituendi vim non habeat: Neque etiam prædicta *Breuia* in priori aliqua definitione *Papæ*, aut *Concilij*, quamque omnes Catholici pro vera definitione admittere debent, fundata esse, (vt idem *Widdringtonus* vniuersa *Conciliorum*, & *Pontificum* decreta, quæ *Leonardus Lessius* D. *Singletoni* personam indutus in vnum congessit, sigillatim discutiendo copiosè comprobauit) sed fundata tantùm esse in opinione & persuasione Summi *Pontificis*, & aliorum eius Theologorum tunc Romæ commorantium, qui multa in Iuramento contineri, *quæ fidei & saluti apertè aduersantur*, ob vnum, vel alterum ex his fundamentis, vel verius ob vtrumque tunc temporis existimabant.

6. *Primum* est potestatem Summi *Pontificis Reges* excommunicandi, & Censuras Ecclesiasticas infligendi,

gendi, & consequenter spiritualem eius Primatum, siue authoritatem in in hoc Iuramento negari & abiurari. Quòd autem *Breuia* prædicta hac potissimùm ratione seu fundamento nitantur, *Widdringtonus*, clarissimè & fusissimè conuincit, *ex Responsione* Summi *Pontificis Roberto Parsonio*, Anglo Iesuitæ, data, quamque idem *Parsonius* literis suis ad quendam ex fratribus suis Iesuitis hic in Anglia degentem scriptis diuulgandam, cæterisque communicandam rogauit: *Ex consultatione* septem, vel octo Theologorum non longè à publicatione Iuramenti *Romæ* habita, eorundemque resolutione, quam idem *Parsonius* scriptis suis publicam fecit: *Ex doctrina* ipsiusmet Card. *Bellarmini* (qui proculdubio neque à Summi *Pontificis*, suorumque Theologorum opinione & resolutione, neque ipsi à *Bellarmini* opinione & sententia in hac re dissentire vllatenus vellent) palam & publicè affirmantis, in hoc Iuramento *apertè negari Summo Pontifici potestatem excommunicandi Reges etiam hæreticos*, quæ eius assertio

Bell. in Respõs. ad *Apologiam* pro Iuramento fidelitatis pag. 9.

sertio *suæ Maiestati* iustam manifestæ falsitatis eum arguendi causam subministrauit: Et denique ex illis verbis *Breuium*, quòd Iuramentum *multa contineat, quæ fidei & saluti apertè aduersantur*: quandoquidem ne vnus quidem ex eruditis nostris Aduersarijs affirmare audeat, abnegationem potestatis *Pontificiæ Reges* deponendi planè & apertè, sed ad summum *tacitè* & *tectè*, idque ex remotissimis quibusdam suppositionibus, & consequentijs malè deductis, fidei verè Catholicæ repugnantem esse: Et proinde Card. *Bellarminum* vnâ cum Summo *Pontifice*, cæterisque eius *Theologis*, perperam supponere, potestatem *Papalem* *Reges* excommunicandi in hoc Iuramento apertè abiurari. *Altera ratio*, seu *fundamentum* est, potestatem *Pontificiam Reges* deponendi, de temporalibus eorum dominijs disponendi, & subditos à temporali fidelitate & obedientia absoluendi, esse rem *de fide certam*, neque apud Catholicos controuersam, & in disputatione positam. Quæ *duo fundamenta* manifestissimè falsa esse,

Vide *Suarez* lib. 6. cap. 1. de *Iuramento* fidelitatis.

esse, ex præcedenti Discursu manifestè constat: Et proinde non esse magis illicitum Anglis Catholicis *Breuia* præ dicta istud Iuramentum prohibentia non admittere, cùm in præfatis rationibus & suppositionibus quæ manifestæ falsæ sunt, fundentur, quàm illicitum sit prædictas falsas rationes & suppositiones reijcere, quandoquidem iuxta doctrinam *Francisci Suarez*, & aliorum Theologorum, quæ etiam rationi manifestæ consentanea est, *præceptum declaratiuum* non maiorem vim obligandi habet, quàm habeat ratio & suppositio, qua, tanquam fundamento nitatur.

7. *Denique*, ex approbata *Dominici Soti*, & aliorum Theologorum doctrina idem *Widdringtonus* commonstrat, quòd si Prælatus, aut alius quiuis Superior quidquam præcipiat, quod inferior aut subditus iniquum esse dubitat, & res quæ præcipitur, in damnum & præiudicium tertiæ personæ, quæ est in possessione bonorum suorum & famæ, vergat, nulla sit inobedientia aut irreuerentia

Sotus de tegendo secreto memb. 2. nu. 2. Vide *Widdrin.* in *detectione* 15. calumniæ *D. Sculckenij.*

rentia in ſubdito tali præcepto non obedire, dummodo Prælato aut Superiori rationes ſui dubij cum omni humilitate & obedientia proponat. Cùm igitur idem *Widdringtonus* ſæpiùs *ſuæ Sanctitati* nomine Catholicorum Anglorum rationes propoſuerit, ob quas dubitant, ſeu potiùs abſque omni dubitatione firmiter ſibi perſuadent, *declaratiua* eius *Breuis* Iuramenti ſuſceptionem prohibentia non eſſe iuſtitiæ conſona, vtpote ſupremæ *Regis* noſtri *Sereniſſimi* in temporalibus poteſtati ſummè iniurioſa, & particulatim eo quòd in prædictis falſis rationibus, & ſuppoſitionibus fundentur; neque adhuc aliquam ſatisfactionem circa hæc eorum dubia vel à ſua *Sanctitate*, vel ab alio quocunque acceperint, non ſolùm perſpicuum eſt, non poſſe eos meritò vlla planè inobedientia, aut irreuerentia contra *Sedem Apoſtolicam* notari, eo quòd prædictis *Breuibus* obedire recuſent, verùm etiam manifeſtiſſimum ſignum eſt, *ſuam Sanctitatem* eorum difficultatibus ſatisfacere nullatenus poſſe, atque etiam iam

planè

planè perſpicere, ſe ſuoſque Theologos fuiſſe in hac re deceptos, maléq; informatos, & *Breuia* ſua *declaratiua* in prædictis falſis rationibus & ſuppoſitionibus, quas nequaquam iuſtificare poſſent, fundata fuiſſe. Alioquin proculdubio *ſua Sanctitas*, pro paternæ ſuæ ſollicitudinis, & Paſtoralis officij debito, omnem ſatisfactionem poſſibilem illis dare elaboraſſet, in hac tam magni ponderis controuerſia, quæ non ſolùm æternam animarum ſuarum ſalutem, atque temporalia ſua dominia & libertatem tam proximè attingit, verùm etiam quæ grauiſſimum Religioni Catholicæ (præter ſummam *Principibus* temporalibus iniuriam) ſcandalum affert, præbens occaſionem *Principibus*, & ſubditis *Proteſtantibus* ſibimet perſuadendi, Religionem Catholicam Romanam non poſſe cum vera & conſtante fidelitate ciuili ſimul conſiſtere, ſed iniuſtarum Inuaſionum, Rebellionum & pulueris ſulphurei proditionum fontem & Seminarium eſſe.

8. Quibus etiam addi poteſt, quòd

quòd cùm idem *Widdringtonus* iamdiu ſcriptis publicis Illuſtriſſimum *Bellarminum* nomine *Adolphi Schulckenij* perſonatum apud ſuam *Sanctitatem* grauiſſimè accuſauerit, & in iudicium de calumnia & dolo malo adduxerit, eo quòd falſo & per iniuriam illi plurima nefandiſſima crimina impoſuerit, (videlicet, *hæreſeos, erroris, temeritatis, inobedientiæ, ſummæq; impudentiæ, præſumptionis & arrogantiæ*; &, quod ridiculum eſt, etiam *læſæ Maieſtatis*, quòd *ſit impoſtor*, & *non Eccleſiæ Catholicæ filius*, *ſed* Sereniſſimi *Regis* magnæ Britanniæ *Iacobi ſtipendiarius miles*, *aut conductitius ſeruus*, *Catholicæ verò Eccleſiæ iuratus*, *ac capitalis hoſtis*, *& datus in reprobum ſenſum*, quòd *damnatam* Lutheri, & Caluini *Hæreſiarcharum doctrinam propugnet*, quòd *contra ſacras literas*, *doctrinam Conciliorum*, *vnanimem conſenſum Patrum & Doctorum hereticis*, *ſchiſmaticiſq; in oppugnanda & mutilanda Pontificia poteſtate ſe iungat*; quòd *iuſtificet* Caiphan, Nerones, Domitianos, Dioclerianos, *& ſimiles peſtes Eccleſiam Chriſti perſequentes*, &

& condemnet Christum, Apostolicos, *cæterosq; pios Martyres patientes*, vt alia eius farinæ conuitia, quæ stomachus eius nimia bili, vti videtur, repletus per totum librum euomuit, quæque præ nausea recensere vix valeo, nunc mittam) Nihilominus idem *Bellarminus* nec suo, nec *Schulckenij*, autalterius cuiusuis nomine toto hoc tempore se purgauerit suamque innocentiam defensauerit, neque famam, quam apud quosdam verbis *Bellarmini* nimium credulos *Widdringtono* per summam iniuriam eripuit, adhuc restituerit. Quod sanè viris prudentibus, & *Bellarmini* aliorumque Iesuitarum ingenia moresque callentibus, signum euidentissimum est, illum de illis calumnijs se purgare nullatenus posse, sed iam ex *Widdringtoni* Responsis didicisse, horrenda illa facinora falsò & per calumniam eidem *Widdringtono* in summam illius iniuriam à *Bellarmino* imposita fuisse. Alioquin profectò non adeo sui honoris & famæ negligens foret, quin si absque maiori nominis sui iactura posset,

posset, seipsum à tam pudendis criminationibus proculdubio vindicaret; neque permitteret, vt tam clara & aperta sui dedecoris testimonia in publicis Bibliothecis ad perpetuam sui ignominiam, & ad summam Aduersariorum suorum exultationem, absque vlla eorum confutatione, in æternum permanerent.

9. Tibi igitur quam humillimè supplico, *Illustrissime Bellarmine*, teq; per viscera Christi, per salutem animæ tuæ, & per zelum, quo *Ecclesiam Catholicam Romanam*, matrem nostram, complecti prætendis, vt (cùm neque ætas tua iam fermè decrepita, neque negotia tam forensia quàm domestica adeo te premant, turbentue, quin opusculum aliquod spirituale quotannis conscribendi otium & tempus tibi suppetat) vel manifestum facere non graueris, *Widdringtonum* tam nefanda & horrenda crimina, quæ illi falsò impositi, & à quibus se publicis scriptis iamdudum purgauit, reuera commisisse, vt tam ipsemet, quàm alij qui cum eo sentiunt, (de quorum numero ego inter alios quam-

quamplurimos vnus sum) doctrinam suam, si forte per ignorantiam à via veritatis deflexerint, quamprimùm retractare queant: vel vt tumetipse errorem tuum, ex præcipiti zelo, inconsiderantia, aut aliunde ortum, palam recognoscere non erubescas, & ingenuè fateri, te de *Widdringtoni* doctrina haud rectè informatum fuisse, aliosque de ea perperam informasse; &, vt famam, cæteraque damna *Widdringtono*, eiusque sequacibus tuâ causâ culpâque iniustè ablata resarcire, dum tempus tibi suppetit, quantum in te est, obnixè studeas; neque futuro schismati, & ab Ecclesia Romana defectioni, aut vnitati Ecclesiasticæ, vel publicæ inter Christianos paci disrumpendæ, & perpetuæ inter *Regnum*, & *Sacerdotium* discordiæ concitandæ præ nimio indiscreti zeli feruore, aut mundani honoris & existimationis amore fomentum præbeas: atque insuper vt tremendam *Innocentij* Papæ tertij mortem, quam tumetipse ex *Thoma Cantipratensi* refers, ante oculos mentis tuæ continuò collocatam

Lib. 2. *de gemitu columbæ* cap. 9.

habeas, illudque salutare documentum ex illius morte (*qua vt ais, te maximo timore & tremore sæpius afficit*) desumptũ, quod alijs Prælatis & Pastoribus, *vt conscientiam suam accuratissimè rimetur*, proponis, tibimetipsi hanc doctrinam de potestate *Papali Principes* deponendi, (*de qua certant Scholastici & adhuc sub Iudice lis est*, & quam *Senatus Parisiensis* tanquam *falsam, scandalosam, seditiosam & detestandam* pluribus *Edictis* condemnauit) cum tam ingenti fraude, tam graui Principum & subditorum iniuria, & cum maxima plurimorum Catholicorum, qui de Ecclesia Romana alioquin optimè meriti sunt, & pro ea multas calamitates & incommoda quotidie sustinent, infamia, propugnanti serio applicare velis, *ne fortè conscientia tua erronea sit, quantumuis tibi recta & sana esse videatur*: Et denique pro certo scias, *Widdringtonum*, cæterosque Catholicos, quos tam grauiter læsisti, & tanquam Pseudo-catholicos per iniuriam traduxisti, neque eorum famam per te iniustè laceratam hactenus

nus reſarciſti, coram tribunali illius iuſti Iudicis, qui *iudicium verum iudicabit, neque conſiderat perſonam pauperis, nec honorat vultum potentis* Dominationem tuam *Illuſtriſſimam* grauiſſimè accuſaturos: atque interim dum in viuis ſunt, ab iniquis tuis, tuique fautorum calumniationibus totis ſuis viribus Deo opitulante, ſeſe vindicaturos, neque à ſua innocentia vijs licitis defendenda vllius hominis, quantacunque dignitate, authoritate, potentia, aut eruditione polleat (cùm non minori, quàm tumet ipſe, erga *Deum* & *Ceſarem* zelo, grauiſſimam hanc controuerſiam examinandam, &, quantum ipſis eſt, ad finem vſque perducendam in ſe ſuſceperint) metu aut terroribus vnquam abſterritos fore. *Ieremi. 21.*

10. *Quapropter*, pro poſtrema huius mei Diſcurſus concluſione, vos *Conterraneos* meos dilectiſſimos etiam atque etiam rogo, vt ſemper in memoria habeatis *duo* illa *principia*, ſeu fundamenta toties à me repetita, quibus doctrina pro licita *Iuramenti* ſuſceptione, & ad *Principes ſupremos*

contra quaſcunque proditiones, conſpirationes, atque attentata ſub prætextu poteſtatis *Pontificiæ* de eorum Coronis & Capitibus diſponendi ſecuros vſquequaque reddendos, potiſſimùm fulta eſt: nimirum quòd magna ſit de hac re inter Catholicos controuerſia, & proinde quòd ſit doctrina verè probabilis & à quamplurimis Catholicis eruditione præſtantibus propugnata, non habere *Summum Pontificem* vllam planè poteſtatem ſeu authoritatem *Principes ſupremos* ſuis Regnis & dominijs temporalibus priuandi: Atque etiam quòd nulla poteſtas, titulus, ſeu ius, quæ non omnino certa eſt, ſed tantùm probabilis, poſſit eſſe fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, aut aliquo ſuo iure & dominio, aliáue prorſus re, quam actu poſſidet, in praxi ſpolietur. Quæ *duo principia* adeo clara & manifeſta ſunt, vt nemo vir eruditus ea ex corde inficiari, aut in dubium vocare poterit, quantumcunque aliquis præ fauore aut timore mundano cõtra id quod ſentit, loqui aut ſcribere non pertimeſcat.

II. Ve-

11. Veruntamen, vt rectè *Widdringtonus* cuidam *D. Schulckenij* replicationi respondens, ex *Molina*, & *Lessio*, celeberrimis Iesuitis, obseruat, inter *possessionem* temporalium & corporalium bonorum, vt sunt prædia, domus, Coronæ, Regna, & eiusmodi, & *possessionem* potestatis, authoritatis, iurisdictionis, titulorum, seu iurium, quæ aliquis ad talia bona temporalia prætendere potest, magnum discrimen constituendum est. Nam *possessio* propriè est tantùm temporalium & corporalium bonorum, & talia bona propriè *possideri* dicuntur, tametsi ille qui verum & legitimum ius ad talia bona habet, sed non ea possidet, quantum potest repugnet, & contradicat: Sed tituli, iura, potestas, authoritas, & iurisdictio non propriè *possidentur*, sed tantùm impropriè, quasi, seu quadam ratione possideri dicuntur: & præterea ad *possidendam* potestatem, authoritatem, iurisdictionem, titulos, seu iura, quæ aliquis ad bona temporalia prætendere potest, eo modo quo potestas, authoritas, iurisdictio &c.

In *Confutat.* Præfationis Tho. *Fitzherb.* nu. 70.
Molin. tract. 2. de Instit. disp. 14.
Lessius lib. 2. de Instit. cap. 3. dub. 11.

possideri à Iurisprudentibus dicuntur, necessarium est, quod potestas, authoritas, & iurisdictio quæ prætenditur, sit absque vlla partis aduersæ renitentia & contradictione. Nam alioquin si quis ius aliquod, potestatem, & iurisdictionem, siue iusta, siue iniusta, siue vera seu falsa fuerit, prætenderet, atque illud prætensum ius, potestatem, & iurisdictionem parte aduersa renitente & contradicente, exerceret, posset nihilominùs verè dici esse in *possessione* illius authoritatis & iurisdictionis, quod tamen manifestè falsum & absurdum est. Ita enim si Laicus veram spiritualem authoritatem & iurisdictionem (vtputa excommunicandi & censuras Ecclesiasticas infligendi) in Clericos se habere prætenderet, & prætensam illam iurisdictionem exerceret, posset nihilominus dici esse in *possessione* Iurisdictionis verè spiritualis, quantumuis Clerici totis viribus resisterent, & contra eam exciperent, atque reclamarent.

12. Atque ob hanc rationem, etsi quidam *Romani Pontifices* per

tot

tot annorum centurias, quot à tempore Papæ *Gregorij VII.* defluxerunt. potestatem *Principes* supremos suis Regnis & dominijs temporalibus priuandi sibi competere prætenderint, non tamen dici possunt verè fuisse vel per vnius horæ spacium in possessione illius prætensi sui iuris & potestatis; quandoquidem à tempore *Henrici IV.* primi omnium Imperatoris (quem Papa *Gregorius VII. præter morem maiorum* Regno & Imperio priuare ausus est, vtpote Res *ante ea sæcula inaudita*) vsque ad tempora *Henrici IV.* Regis *Francorum* Christianissimi, ex Regibus vltimi, quem *Sixtus* Papa V. Regno & Regali potestate priuare prætendebat, tam *Principes* Christiani, quàm subditi prætenso huic *Pontificum* iuri ac potestati de eorum Coronis & Dominijs disponendi semper contradixerunt, totisque viribus restiterunt. Et tametsi forsan aliquando contingeret, vt vnus, vel alter *Princeps* Christianus, priuati sui, aut etiam publici emolumenti intuitu, prætensæ huic *Pontificum* potestati

Onuphr. lib. 4. de varia creat. *Rom. Pont.*

non resisteret, quin potiùs eam agnoscere, hoc tamen neque eius *Successoribus*, neque alijs *Principibus supremis* præiudicare potest, neque sufficiens ratio aut fundamentum est, ob quod *Summus Pontifex* verè dici queat esse in possessione huius prætensi sui iuris & potestatis *Reges*, & *Principes supremos* generatim abdicandi, sed ad summum illum particularem *Regem*, aut *Reges*, qui tali authoritati nón repugnarunt, sed talem abdicandi *Principes* potestatem Papalem fassi, vel potius ex aliqua necessitate temporali passi sunt, quæ tamen eorum agnitio, aut conniuentia *supremæ* suorum *Successorum*, aut aliorum *Principum*, qui talem authoritatem non agnoscunt, in temporalibus *potestati*, vti diximus, derogare nequaquam potest.

13. *Vltimo* denique, si quis forsan *obijciat*, plures *Romanos Pontifices Principes supremos* deposuisse, & plurimos eruditos Theologos hanc praxin approbasse, igitur hæc *Papalis Principum* depositio, quoad praxim, cum à pluribus viris doctis, & in sua

arte

arte peritis probetur, est verè probabilis, etiam iuxta ipsiusmet *Widdringtoni* principia, quæ ex *Gabrielis Vasquez* doctrina desumit, huic tamen *obiectioni* facilè responderi potest. Illi enim *Pontifices*, & *Doctores*, qui eiusmodi *praxim* approbarunt, vel *primò* certissimè sibi persuadebant, doctrinam hanc pro potestate *Papali* Principes supremos abdicandi fuisse tunc temporis *de fide certissimam*, neque in vlla quæstione aut controuersia inter Catholicos habitam, atque contrariam à nullo verè Catholico tutâ & licitâ conscientiâ approbari potuisse; De qua re vtcunque *Doctores illi* eo tempore sibi persuadere poterant (in quo tamen eos plurimùm allucinatos esse manifestè constat, quandoquidem ab eo tempore, quo hæc doctrina, & praxis à *Gregorio* Papa VII. primùm concepta, & in orbem Christianum inuecta est, *Res ante ea secula inaudita*, ait Onuphrius, *magna fuerit de hac re inter Romanos* Pontifices & Imperatores ac Reges *controuersia*, vt asserit *Azorius* Iesuita, & *de hac re certent Scholastici*, & adhuc

Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 4. nu. 18. citatus à *Widdringt.* in *Disp. Theol.* ca. 10. sec. 2. nu. 16.

huc sub Iudice sit, ait *Trithemius*) attamen hisce diebus adeo clarum & manifestum est, magnam nunc esse de hac *Papali* potestate *Principes* deponendi inter eruditos Catholicos controuersiam, vt totus Christianus Orbis ex ijs, quæ scriptis factis & decretis publicis circa hanc controuersiam in *Anglia*, *Francia*, atque etiam *Venetijs* à viris Catholicis consignata, & acta sunt, amplissimum istius rei testimonium perhibere queat: Vel *secundò*, *Pontifices* illi, & *Doctores* verum discrimen inter *speculationem*, & *praxim*, seu inter potestatem *speculatiuè* tantùm, & Disputationis gratia in Scholis approbatam, atque eandem in *praxi* executioni mandandam non satis considerarunt, sed absque diligenti examine existimarunt, quamcunque potestatem, aut ius, quæ *speculatiuè*, & abstrahendo à *praxi* probabilis habebatur, vtpote à viris eruditis speculatiuè approbata, quæque in Scholis gratia contemplationis à Doctoribus absque nota temeritatis in vtramque partem ventilari & defendi *speculatiuè* posset, posse etiam in

praxi

praxi absque vlla iniustitia executioni licitè mandari, non ritè expendentes vtrùm eiusmodi potestas in *praxi* damnum, & præiudicium tertiæ personæ afferat, atque ad alterum è re illa quam actu possidet extrudendum tendat: Cùm tamen certissimum sit, atque ab ipsismet Aduersarijs, vt suprà ostendimus, tanquam res manifesta concessum, *potestatem, quæ non omnino certa est, sed* tantùm *probabilis, non posse esse fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, aut iurè suo & dominio*, aliàue prorsus re, quam actu possidet, in praxi *spolietur*: atque *apertam esse* in Summo Pontifice *iniustitiam*, si quenquam re illa priuaret, *ad quam ius probabile habet, simulque possessionem.*

14. Iam vt præfatæ *obiectioni* clarè & dilucidè satisfaciamus, satis constat, *Widdringtonum*, ex doctrina *Gabrielis Vasquez*, quam ipse sequitur, quæque manifestæ rationi consona est, perspicuè commonstrasse, approbationem, seu authoritatem antiquorum, vel recentiorum Doctorum non sufficere, vt doctrina, quam ap-

approbant, censeatur probabilis alijs viris eruditis, si doctrina illa vel fundetur in aliquo principio, quod viri illi eruditi manifestè falsum esse arbitrantur, vel confutari queat aliqua ratione, quæ eorum iudicio inuincibilis planè, & insolubilis æstimatur, quæque à Doctoribus illis non visa, considerata, aut examinata fuit. *Obseruandum tamen maximè est*, ait *Vasquez*, *interdum contingere, vt antiqui Scriptores, quorum opiniones modo sunt in controuersia, non attenderunt rationem aliquam, legem, seu decretum, quod contra ipsorum opinionem maximam vim habet, contrà verò recentiores Doctores ea ratione vel lege conuicti, iam asserere contrarium. Si ergo aliquis videns legem, aut decretum, vel considerans rationem illam nouam, contra antiquos Doctores opinetur cum recentioribus, non poterit contra suam opinionem operari, iuxta opinionem antiquorum*, seu quod idem est, sola antiquorum authoritate motus, *quia iam non debet censeri probabilis antiquorum opinio, qui decretum illud, aut rationem non considerárunt.* Et propterea

Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 4. nu. 18.

rea *Widdringtonus* ex doctrina *Aristotelis*, quē omnes Philosophi sequuntur, definiens *probabile*, esse illud, *quod viris sapientibus*, seu doctis, & in arte, quam profitentur, peritis *probatur*, ad rem magis explicandam de industria addidit, qui difficultatem viderunt, & examinarunt: Si enim particularem illam difficultatem & controuersiam Doctores illi non considerarunt, nemo sanè eos in ea peritos & doctos esse iudicabit.

15. Nunc particularis illa difficultas, & controuersia, quam *Pontifices* illi, & *Doctores*, de quibus in *obiectione* fit mentio, non considerarunt, hæc est, vtrùm supposito, quòd sit controuersia apud eruditos Catholicos, & quòd sit doctrina verè probabilis, nullam *Principes supremos* suis dominijs priuandi potestatem *Summo Pontifici* competere, non sit aperta iniustitia in *Papa Principes* legitimos Dominijs suis temporalibus, quæ actu possident, in praxi spoliare, seu eorum depositionem vi talis prætensæ potestatis practicè machinari. Et proinde nisi planè conuinci possit,

vel

vel *primò*, non esse his temporibus de hac re inter eruditos Catholicos controuersiam, neque esse doctrinam à pluribus approbatam, quòd *Papa Principes* deponendi potestatem non habeat, quod tamen adeò clarum & manifestum est, atq; Solem tempore meridiano lucē emittere, vel *secundò*, potestatē, quæ non omnino certa est, sed probabilis, posse esse fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, aut aliquo iure & dominio in re obtento, seu re aliqua quam actu possidet per vim priuetur, quod tamen ab ipsismet Aduersarijs tanquam apertè falsum confidenter negatur, manifestè consequitur, *praxim* deponendi *Principes* authoritate *Pontificia* sub prætextu probabilitatis illius doctrinæ, quæ talem authoritatem approbat, non posse vlli viro erudito esse verè probabilem, etiam ad hunc effectum vt in conscientia, & in conspectu Dei à formali peccato, atque iniustitia excusetur.

16. Veruntamen, vt cum aureo hoc documento, quod vestris prudentijs (*Conterranei mei dilectissimi*) etiam

etiam atque etiam commendo, iam tandem concludam: quòd qualitercunque ſubditi aliqui exiſtimantes, poteſtatem *Summo Pontifici* competere *Principes ſupremos* deponendi, ad *Principem* ſuum legitimum è Regno, quod actu poſſidet, extrudendũ, cum *Papa* in praxi conſentientes, poſſint ſub prætextu & colore *probabilitatis* eiuſmodi doctrinæ ſibimet perſuadere, ſe coram Deo, & in conſcientia (de qua *Principes* temporales ſecreta cordium neſcientes, in ſuis Tribunalibus non dijudicant, ſed de externis tantùm ſuorum ſubditorum actionibus iudicium faciunt) à peccato, & proditione formali atque interna excuſari: Attamen ſi *hæc duo* ſeriò conſideretis; *Primum*, quòd certiſſimum, & planè indubitatum ſit, ſubditum quemcunque, qui *Principem* ſuum legitimum, & qui Regnum ſuum indubiè poſſidet, contra eiuſmodi inuaſiones, depoſitiones, & machinationes in probabili tantùm poteſtate aut titulo fundatas, totis viribus defendit, ab omni culpa & peccato formali coram Deo, & in conſcientia im-

immunem esse, cùm tamen nulla certa ratione sibi persuadere queat, se coram Deo, & in conscientia securum esse, si partes *Pontificis* aduersùs legitimum suum *Principem*, qui Regnum suum indubiè possidet, tueatur: *Alterum*, non esse minùs certum, quòd subditi illi, qui partes *Pontificis* suscipiunt aduersùs *Principem* suum legitimum, quem *Papa* sub prætextu potestatis, tituli, aut iuris incerti, & in controuersia positi, quantumcunque probabilis potestas illa iudicetur, inuadere, atque è Regno, quod possidet, deturbare per vim conantur, possint tam in *Ecclesiastico*, quàm in *Seculari* Principis ita depositi *foro externo* de aperta proditione externa iure merito accusari & condemnari, & tanquam manifestos proditores, & criminis læsæ Maiestatis reos extremo Proditorum supplicio adiudicari; quandoquidem *aperta esset iniustitia in Papa* (vt rectè ait *Author* Tractatus Anglici de *Ecclesiastica* & *Regia potestate*) *Regem Regno suo priuare, ad quod probabile ius habet, & simul possessionem*: & consequenter aperta esset

esset proditio in subdito partes *Pontificis* aduersus *Principem* suum legitimum in eo casu aperte iniusto propugnare. *Hæc*, inquã, *duo* si diligenter expendatis, existimo neminem vestrûm adeo esse insanum, omnisque humani consilij expertem, aut adeo parum *Dei* iram, & *Regiæ Maiestatis* iustam indignationem timere, qui adduci potest, vt eiusmodi damnabiles machinationes, & proditorias conspirationes, & consequenter, neque doctrinam, principia & fundamenta, quibus nituntur, vllatenus approbet, vel vt *Summo Pontifici Principem* suum supremum, & legitimum, sub prætextu potestatis, quæ etiam speculatiuè, & abstrahendo â praxi *ad Summum probabilis* esse potest, deponenti, & è Regni sui possessione per vim deturbare conanti vllo modo adhærere velit. Atque ita hanc meam seriam, & synceram *Admonitionem* vestris prudentijs commendans finem facio, vos obnixè deprecans, vt illud, quod in principio ante oculos vestros constitui, neque

nimis crebro inculcare possum, semper in memoria habeatis, *Deum timete, Regem honorificate. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: & consequenter vnicuique, tam *Principi*, quam *Pontifici*, quod suum est, *Reddite.*

Exem-

Exemplar

Primi Articuli, seu Iuramenti fidelitatis, quod *Tertia pars* Ordinum *Franciæ*, in Comitijs generalibus *Lutetiæ Parisiorum* anno Domini 1614. celebratis, *Regi Christianissimo*, in legem Regni fundamentalem, ab eo stabiliendum proposuit.

Exemplar istius Articuli extractum est ex libro, cui titulus est: Apologie d'l'Article premier du Tiers Estat 1615. p. 4

QVòd ad *reprimendum cursum*, seu progressum, *perniciosæ illius doctrinæ, quæ contrà* Reges, *& potestates supremas à* Deo *stabilitas, per spiritus seditiosos, qui non nisi ad eas turbandas, & subuertendas respiciunt, aliquot abhinc annis introducta est*, Regiæ Maiestati *humiliter supplicandum sit, vt in horum* Ordinum Conuentu *in Legem Regni fundamentalem, quæ sit inuiolabilis, & omnibus manifesta, sanciendum faciat*; Quòd *cùm ipse in suis Dominijs supremus recognoscatur, neque ab alio quàm à Deo solo suam Coronam tenens*, non sit potestas in terra, quæ-

cunque illa sit, siue spiritualis siue temporalis, quæ ius aliquod habeat supra suum Regnum ad sacratas Regum nostrorum personas depriuandas, neque ad dispensandum, vel absoluendum eorum subditos a fidelitate & obedientia, quam illis debent, ob vllam causam, vel prætextum quemcunque: Quòd *omnes Subditi, cuiuscunque qualitatis & conditionis fuerint, hanc legem* vtpote *Verbo* Dei *consentaneam, pro sancta & vera absque distinctione, aequiuocatione, vel limitatione quacunque propugnabunt*: Quam legem *omnes* Ordinum Deputati, *& posthac omnes Beneficiarij, & Officiales Regni, priusquam in suorum Beneficiorum possessionem veniant, & ad sua Officia admittantur, Iuramento firmabunt, & consignabunt*: Omnes *Magistri, Regentes, Doctores, & Praedicatores palam docere, & publicare tenebuntur, opinionem contrariam, quòd scilicet licitum sit ob vllam causam* Reges *nostros occidere & deponere, contra eos insurgere, & rebellare, obedientiæ iugum excutere, esse impiam detestabilem, contra veritatem, & stabilimentum*

Status

Status Franciæ, *qui non nisi à* Deo *immediatè dependet*; Quòd *omnes libri, qui talem falsam & peruersam opinionem docebunt, pro seditiosis & animaduersione dignis habebuntur*: Omnes *extranei, qui eam scriptis docebunt & euulgabunt, pro iuratis Coronæ inimicis*: Omnes *suæ* Maiestatis *subditi, qui illi adhærebunt, cuiuscunque qualitatis & conditionis fuerint, pro Rebellibus, legum Regni fundamentalium violatoribus, & criminis* læsæ Maiestatis *in supremo capite reis*: Et si *contigerit, aliquem librum, vel Discursum ab aliquo Ecclesiastico extraneo, vel alterius qualitatis personæ conscriptum esse, qui propositionem dictæ Legi directè vel indirectè contrariam contineat, tenebuntur Ecclesiastici eiusdem Ordinis in Francia stabiliti illis respondere, impugnare & contradicere, omni cunctatione semota, absque respectu, ambiguitate, vel æquiuocatione, alioquin tanquam Status istius inimicorum fautores pœnis superiùs commemoratis subiacebunt.*

Quòd autem *iste Articulus*, seu fidelitatis Iuramentum, neque *veritati*,

neque *iustitiæ* vllatenus repugnans sit, ex præcedenti Discursu satis constat, quandoquidem, quod attinet ad punctum principale de *Regibus* Francorum non deponendis, & subditis ab eorum fidelitate non absoluendis, à nostro *fidelitatis* Iuramento solùm in hoc discrepat, quòd nostrum *Iuramentum Romani Pontificis* authoritatem, & quamcunque potestatem ab eo, vel à sua *Sede* deriuatam, aut alias sibi communicatam *Regem* deponendi &c. tantùm neget, at *Articulus ille* verbis magis generalibus asserit, *non esse in terra vllam omnino potestatem, siue spiritualem, siue temporalem, quæ ius aliquod habeat supra Regnum Franciæ ad sacratas Regum personas depriuandas, neque ad dispensandum vel absoluendum eorum subditos* &c. Quæ tamen verba [*quæ ius aliquod habeat supra Regnum Franciæ ad sacratas Regum personas depriuandas* &c.] de illo iure & potestate, quam ipsummet *Regnum* Franciæ *Regem* suum in aliquo casu depriuandi &c. prætendere potest, intelligi non possunt, (vti Cardinal. *Peronius*, vt

Rhe-

Rhetoricam ſuam contra dictum *Articulum*, inuectiuam, & magis *Oratore*, quam *Theologo* dignam, magis plaulibilem redderet, perperam ſupponit, ſed nec ſpeciem quidem argumenti ad id probandum affert.) Nam *Regnum Franciæ* in ipſummet *Regnum Franciæ*, ſeu in ſeipſum, nullum ius, ſeu authoritatem, & iuriſdictionem habet, cùm iuſtitia, authoritas, iuriſdictio, iuxta communem Theologorum doctrinam, non ad ſeipſum, ſed ad alterum neceſſariò referri debeat. Et tametſi Diſputationis gratia admitteremus, verba illa [*quæ ius aliquod habent &c.*] de illo etiam iure & poteſtate, quam totum *Regnum*, ſeu *Reſpublica* ſupra *Principem* ſuum ſupremum in aliquo caſu prætendere poteſt, intelligenda eſſe, cùm tamen, vt ſuprà oſtenſum eſt, magna ſit inter eruditos Catholicos controuerſia, an ſpeculatiuè tantùm loquendo, *totum Regnum* ſeu *Reſpublica Principem* ſuum ſupremum, & abſolutum in aliquo caſu depriuandi ius & poteſtatem habeat, & certiſſimum etiam ſit, nullam po-

testatem, quæ non omnino certa est, sed probabilis & in controuersia posita, posse in *praxi* esse fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, aut aliquo suo iure & dominio in re obtento priuetur, atque insuper *Articulus iste praxim* potissimum respiciat, manifestè consequitur, non esse magis illicitum iureiurando negare *toti Regno*, seu *Reipublicæ* ius, & potestatem *Principem* suum supremum Regno, quod possidet, depriuandi, quàm illicitum sit negare, talem depriuandi potestatem *Romano Pontifici* competere, vt superiùs ex *Secundæ Clausulæ* explicatione luculentiùs apparet.

Exem-

Exemplar.

Arresti, seu Decreti, *Curiæ Parliamenti Parisiensis*, in quo Tractatus *Card. Bellarmini* aduersus *Guilielmum Barclaium* condemnatur.

Arrestum istud vnâ cum copioso, ac valdè erudito Discursu *Ludouici Seruini* Regij Procuratoris generalis, contra dictum *Bellarmini* Tractatum impressum reperies, in *Tomo* tertio Tractatuum &c. *Melchioris Goldasti*.

Extractum.

Ex Actis Curiæ Parliamenti *Die Veneris 26. Nouembris* 1610.

HOdierna *die Regij Cognitores in Curia, verba faciente* Ludouico Seruino *Aduocato Regio, subscribente* Ludouico Dureto *primario subcognitore Regio, dixerunt relatum sibi, paucis abhinc diebus disseminatum fuisse in hac Vrbe* Parisiensi *nouum librum, cuius hæc est Inscriptio*, [Tractatus de potestate *Summi Pontificis* in rebus temporalibus, aduersus *Guilielmum Barclaium*, Authore *Roberto* S. R. E. Cardinali *Bellarmino*. *Romæ* per *Bartholo-*

tholomæum Zannetti hoc anno 1610. excusum] *ex quo plura plures excerpta, bona fide alij animo vulgauere. Quoniam verò propositiones liber iste continet, quæ* Regis *authoritati & potestati, ac* Statui Franciæ *præiudicant, de quo iuxta ac de alijs* Regibus, Principibus, *&* Rebuspublicis *temporalibus* Author *loquitur, exemplar hodie sibi comparauere, quo accuratè lecto & expenso, sui censent officij ea quæ Potestatibus à* Deo *constitutis, huic* Regno *potissimùm aduersantur, ad Senatum referre. Quamobrem hoc nouo* Tractatu *non eas docere modò propositiones, quas prioribus scriptis asseruit, obseruarunt, vt eo libro, cui titulus,* De Romani Pontificis Hierarchia, *Sixti Quinti tempore scripto, & eidem Pontifici dicato, quem in quinque libros partitus est, quorum vltimo tuetur,* Papam habere potestatem temporalem indirectè. *Sed ad hoc* erroneum *dogma alia non minùs falsa, & vlteriùs progredientia locis adnotatis, quos Senatus, si ita visum erit, hoc in libro inuenietur, adijci animaduerterunt.* Primum, *notandum ipse titulus, quo* Summo Pontifici *potestatem tribuit*

buit in temporalibus. Dein, *ex variis* Italorum, Gallorum, Hispanorum, Germanorum, Anglorum, & Scotorum *scriptis authoritates nonnullas adfert, exordium à* Gregorio VII. *Pontifice, qui vixit anno Domini* 1073. *ducens &c.*

Quò itaque ad germanorum Francorum *tutelam deceptioni præcaueatur, qui verba, facit, cùm sese propter conscientiam, & incumbens Aduocati Regij munus deuinctum sentiat, vt ingenuè sui muneris partes expleat, in medium profert Card. Bellarmini librum, viuente* Henrico *magno Rege nostro perscriptum (quo regnante eum nemo publicare ausus est) vbi è viuis excessit editum, in quo locos adnotauit, quos videbit Senatus præcipuè,* pag. 37. 38. 57. 58. & 76. 77. *quibus accedit quod* 160. 115. 116. *Simulque postulationes scripto exaratas profert, quibus Regis nomine Regij Triumuiri postulant Edicto vetari,* Nevlli cuiuscunque sit qualitatis, aut cõditionis, accipere, habere, retinere, excudere, aut excudendum dare hunc *Bellarmini* librum liceat, pœna *læsæ* in primum caput *Maiestatis* in delinquen-

quentes constituta: *Omnibus* iniungi, qui habent aut habituri sunt, sciunt aut scire possunt, quo Regni loco extet, vt Regijs Iudicibus, aut Subcognitoribus Regijs significent, vt eius exemplaria supprimantur, *cùm doctrinam dignitati, authoritati, & supremo* Regum *iuri contrariam complectatur, quâ subditi ad rebellionem in* Regem, *ad machinationes in Caput eius, ditionemq; struendas concitantur*: *Eâdem constitutâ pœnâ prohiberi*, ne quis eandem doctrinam in Scholis, aut alibi scribat vel doceat: *Arrestum*, quod ex hisce postulationibus condetur, in Præfecturis omnibus Iudicum Regiorum, quæ Iurisdictioni huius Curiæ subijciuntur, legi ac promulgari Subcognitoribus instantibus, qui sedulitatis adhibitæ Curiam certiorem reddere teneantur: Atque ne deinceps postulationes, aut *Arrestum*, inde profectum calumniari quis possit, ad testimonium veritati, quoties opus erit, exhibendum, sibi librum in custodiam tradi postulant.

Causa

Causa ad disquisitionem vocata, Camera Magna, Criminali, atque Edicti *conuocatis:*

CVria *vetuit, vetatq;*, ne quisquam, cuiuscunque sit qualitatis aut conditionis, pœna *læsæ Maiestatis* in delinquentem constituta, accipiat, retineat, communicet, excudat, excudendum tradat, aut venundet dictum librum, *qui falsam & execrabilem propositionem continet, qua ad euersionem potestatum supremarum à* Deo *constitutarum, & ordinatarum pertinet, Subditos acuens ad Rebellionem, & Principum imperio subtrahens, ad machinandum in eorum Capita, ditionesque, ad turbandam denique tranquillitatem, & quietem publicam incitans.*

Iubentur ij, penes quos erunt dicti libri exemplaria, aut qui habentes norint, confestim suis Iudicibus profiteri, vt postulantibus Subcognitoribus Regijs in crimen inquiratur, & in sontes, vt par est, animaduertatur. *Eâdem pœnâ constitutâ*, Doctores, Professores, alioq; dictam propositionem tractare, disputare, scribere, do-

docere directè aut indirectè in Scholis, Collegijs, alijsque locis prohibet. *Decernit dicta Curia*, hoc est *Arrestum*, in Præfecturas Iudicum Regiorum, quæ Iurisdictioni huius Curiæ subijciuntur, mitti, legi, promulgari, in acta referri, & iuxta præscriptum modum, formamque obseruari. *Iubentur Subcognitores Regij* sedulò exequutionem *Arresti* procurare, & Curiam intra mensem sedulitatis suæ certiorem facere. *Actum in* Parliamento *Die Veneris* 26. *Nouembris* 1610.

Signatum

VOISIN.

Arresto *prolato*, Regis *Cognitoribus accersitis Curia placitum significatum est*, *& ex* Senatus consulto *dictus* Cardinalis Bellarmini *liber in manus ipsorum traditus est.*

Exem-

Exemplar.

Alterius *Arresti*, seu Decreti *Curiæ Parliamenti Parisiensis*, in quo liber *Francisci Suarez* aduersus *Serenissimi* Magnæ Britanniæ Regis *Iacobi* Apologiam pro *Iuramento fidelitatis*, & *Præfationem* eius *Monitoriam* potissimùm conscriptus condemnatur.

Decretum Curiæ Parliamenti *factum die 26. & exequutioni mandatum 27. Iunij. 1614.*

Contra librum Coloniæ *præsenti anno impressum, cui titulus est*, Francisci Suarez Granatensis, Societatis Iesu Doctoris Theologi, Defensio fidei Catholicæ & Apostolicæ aduersùs Anglicanæ

canæ ſectæ errores, *continentem plurimas maximas, & propoſitiones ſupremis Regum poteſtatibus, à Deo ordinatis & ſtabilitis, ſecuritati ſuarum perſonarum, & paci ac tranquillitati ſuorum Statuum aduerſantes.*

Locus ✠ *vbi inſignia* Regis Franciæ, & Nauarræ *collocantur.*

Apud F. Morel, & P. Mettaier *Ordinarios* Regis *Typographos & Bibliopolas.* 1614.

Cum priuilegio ſuæ Maieſtatis.

Extra-

Extractum ex Registris *Parliamenti.*

CVria magnæ Cameræ, Criminalis, & Edicti *viso libro* Coloniæ *præsenti anno impresso, cui titulus est*, Francisci Suarez Granatensis, à Societate Iesu Doctoris Theologi aduersùs Anglicanæ sectæ errores, *qui tertio libro cap.* 13. *pag.* 376. 79. 80. 82. *Cap.* 29. *pag.* 410. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Cap.* 6. *pag.* 834. *Cap.* 8. *pag.* 844. *& alijs in locis, plurimas propositiones continet supremis Regum potestatibus à Deo ordinatis & stabilitis aduersantes, & quod licitum sit eorum subditis, atque exteris contra suas personas machinari*: Conclusiones Procuratoris Regij Generalis.

Quibus omnibus consideratis:

Dicta Curia *declarauit, & declarat, propositiones, & maximas in præfato libro contentas esse scandalosas & seditiosas, tendentes ad euersionem Statuum, atque ad inducendos* Regum, *& supremorum Principum subditos, aliosque*

que, vi contra suorum aduersarum personas moliantur: Et verba, quæ mentionem faciunt Regum, Clodouei & Philippi Pulchri, esse falsa & calumniosa. Decreuit, & decernit, præfatum Suarez librum per Executorem supremæ instantiæ in atrio Palatij comburendum esse. Prohibuit, & interdixit, ac prohibet & interdicit Bibliopolis, & Typographis, ne eum imprimant, vendant, aut diuulgent, & quibuscunque personis, cuiuscunque qualitatis & conditionis fuerint, ne eum habeant, exscribant, aut retineant, in Scholis vel alibi doceant, aut disputent propositiones: Decernit, iuxta Arrestum factum die 8. Iunij, 1610. & Decretum Facultatis Theologicæ factum die 4. Iunij eiusdem anni de renouanda doctrinali Censura dictæ facultatis facta anno 1408. à Concilio Constantiensi confirmata, simul cum præsenti Arresto, sicut etiam illa anni 1578. & 95. singulis annis die 4. Iunij relegenda sint, tam in dicta Facultate, quam in Collegio Presbyterorum & Scholasticorum Collegij Claramontani, & quatuor Mendicantium: Atque vt

Collegium istud *Claramontanum* est Collegium *Iesuitarum*.

ad

ad instantiam Generalis Regij Procuratoris *informationes capiantur de transgressionibus dictorum* Arrestorum, *& inhibitiones fiant de exscribendis, habendis, & retinendis similibus libris. Factum in* Parliamento 27. *die Iunij, anni* 1604.

Signatum

VOISIN.

Præterea decretum est, *ut Patres*, Ignatius Armandus, *Rector in hac Ciuitate*, Cottonus, Frontonus, *&* Sirmundus *ad comparendum primæ die in Curia citandi sint, illisq; denunciandum, quòd contra declarationem & decretum sui Generalis factum anno* 1610. *liber* Suarez *impressus, atque in hanc Ciuitatem importatus fuerit, contra authoritatem* Regis, *& securitatem suæ personæ, & Status, illisque iniungendum sit, vt prædictum* Decretum *à suo* Generali *renouandum, & publicandum esse curent, & authenticum illius exemplar intra tres menses introducant, atque vt caueant, ne aliqui libri, qui tales damnabiles, & perniciosas propositiones*

continent, ab aliquo suæ Societatis confirmantur, aut in lucem mittantur: Illisque iniungendum sit, vt in suis Concionibus populum ad doctrinam prædictis propositionibus contrariam exhortentur. Alioquin Curia procedet contra transgressores, sicut contra reos læsæ Maiestatis, & pacis publicæ perturbatores.

Præfatum Arrestum, & quod decretum est, *publicata sunt in præsentia Patrum*, Ignatij Armandi, Caroli de la Tour, *qui venit in loco* Petri Cottoni *absentis*, Frontoni Ducæi, & Iacobi Sirmundi. Et Arrestum *Executioni mandatum est coram magnis gradibus Palatij 27. Iunij*, 1614.

Exem-

Exemplar
Alterius *Arresti*, seu Decreti *Curiæ Parliamenti Parisiensis*, in quo doctrina de *Principibus* deponendis condemnatur, & præcedentia *Arresta* aduersus libros *Cardinalis Bellarmini*, & *Francisci Suarez* denuo confirmantur.

Decretum Curiæ Parliamenti *factum die 2. Ianuarij. 1615.*

De suprema Regis *in temporalibus potestate, & contra perniciosam doctrinam de machinando contra sacratas Regum personas.*

Locus ✠ *vbi insignia Regis* Franciæ & Nauarræ *collocantur.*

Parisijs.

Apud F. Morel, & P. Mettaier *Ordinarios* Regios *Typographos & Bibliopolas.* 1614.

Extractum ex Registris *Parliamenti.*

Q*Vandoquidem Regius* Procurator Generalis *Curiæ significauit, singulis illius* Cameris *simul congregatis, quòd tametsi pluribus* Arrestis *antehac cum graui & matura deliberatione sancitis* Curia *has maximas in Francia semper sustentatas, & cum ipsa Corona congenitas confirmauerit:* Quod *Rex* nullum sui Regni Superiorem in temporalibus præter *Deum* solum recognoscat: *Et quod* nulla potestas ius aliquod, seu authoritatem habeat subditos eius à Iuramento fidelitatis & obedientiæ quam illi debent, relaxandi, neque eum à dicto suo Regno suspendendi, priuandi, aut deponendi; & multò minus in sacratas Regum personas per authoritatem aliquam siue publicam, siue priuatam machinandi, aut vt machinationes fiant procurandi: *Nihilominus sibi renunciatum est, quòd plures personæ tam per discursus publicos quàm priuatos, licentiam sumant eiusmodi maximas in dubium reuocandi, de illis disputandi,*

tandi, prog. problematicis sustentandi, unde maxima inconvenientia, quibus præcaveri, idq. sine mora necesse est, oriri possunt: Postulat (*dictus* Procurator) *quòd, cùm* Curia *iam congregata sit omnibus negotijs cessantibus, sanctæ dignetur, vt predicta illa* Arresta *renouentur, & in omnibus Sedibus sua Iurisdictioni subiectis denuò publicentur, quo omnium* Regis *subditorum animi, cuiuscunque qualitatis & conditionis fuerint, confirmentur, & de eisdem maximis & regulis securi reddantur, & securitas vitæ* Regis, *pax & tranquillitas publica conseruentur: Cum Inhibitionibus de non contraueniendo sub pœnis per predicta* Arresta *constitutis: Atque vt omnibus suis Substitutis iniungatur, quod sub pœna priuationis suorum officiorum publicationem faciant, & Curiam intra mensem certiorem reddant.*

Curia *omnibus* Cameris *congregatis* decreuit & decernit, *quòd* Arresta *facta die secundo Decembris 1561. 29. Decembris 1594. 7. Ianuarij, & 19. Iulij 1595. & Iunij & 26. Nouembris 1619. & 26. Iunij 1614. iuxta to-*

rum tenorem & formam custodiendæ & observandæ sint. Edicto vetans, *ne ulla persona, cuiuscunque qualitatis & conditionis fuerit, ijs contravenire sub pœnis per eos constitutis: Atque ad hunc finem ab vnis, qui* Procuratoris Generalis *substituti sunt, publicabantur in omnibus Castaldijs, Præfecturis, aliisq; Tribus Iurisdictionis huius Curiæ subiectis, qui intra mensem* Curiam *certiorem reddent, sub pœna ad id cum suo periculo respondendi. Factum in* Parliamento, 2. *Ianuarij*, 1615.

Signatum

VOISIN.

Quod autem prædicta *Arresta* seu Decreta veritati & iustitiæ consona sint, manifestum est, partim ex ijs, quæ superius in quarto & quinto *Præludio*, & in secundo, tertio, & quinto *Capite* huius *Tractatus* dicta sunt, & magis particulatim ex ijs, quæ *Waldringtonus* tradit in *Discussione* Discussionis *Decreti* magni *Concilij* Lateranensis *aduersus* Leonardum Lessium *nomine* Guilielmi Singleto-

Part. 2. sec. 9.

ni

ni *personatum*, vbi *Senatores* illos sapientissimos, in quos *Author* ille paulò acerbiùs inuehitur, iustificat, eosque Decreta illa sancientes ab omni prorsus iniustitiæ, alteriúsue criminis nota immunes esse commonstrat, quandoquidem *Principes Christiani* ex vi suæ potestatis politicæ (iuxta doctrinam *Ioannis Parisiensis*, *Francisci Victoriæ*, *Dominici Soti*, *Bannes*, *Couerruuiæ*, quæque manifestis ipsius Naturæ principijs innititur) rectam & plenam authoritatem habent sub pœnis temporalibus, quæ potestati politicæ propriæ sunt, prohibendi, ne doctrina aliqua & positio, non solùm hæretica, erronea, aut falsa, verùm etiam *non necessaria*, quantumcunque probabilis esse censeatur, in suis Dominijs sustentetur, propugnetur, aut diuulgetur, quotiescunque talis doctrinæ sustentatio, propugnatio aut diuulgatio Coronis, & Capitibus Principum temporalium periculum affert, atque ad subuersionem Status, & pacis publicæ in Republica ciuili, cuius cura Regi incumbit, perturbationem tendit.

Ioan. Paris. de potest. Reg. & Pap. cap. 21. ad 37. arg. *Victor.* Relect. 1. *de potest. Eccles.* sec. 7. §. Octaua propositio. *Sot.* m. 4. d. 29. q. 1. ar. 4. *Bannes* 2. 2. q. 11. ar. 4. q. 1. *Couerr.* cap. 35. *pract. quæst.*

Exem-

Exemplar Purgationis *Rogeri Widdringtoni*, Catholici Angli.

Sanctissimo, ac Beatissimo *Patri*, Paulo Quinto, *Pontifici Maximo*, Rogerus Widdringtonus, *Catholicus Anglus perpetuam felicitatem precatur.*

1. *VEnit in manus meas paucis abhinc diebus* (Pater beatissime) *quoddam* sacræ congregationis *Illustrissimorum S. R. E. Cardinalium ad Indicem deputatorum decretum die 16. Martij, præsentis anni 1614 datum, & Romæ in Typographia Cameræ Apostolicæ hoc eodem anno impressum, in quo duo libri à me mente sincera, & in simplicitate cordis conscripti, nominatim, sed verbis tantùm generalibus, nullo crimine, quod in illis vel specialiter, vel etiam generaliter contineatur (quod plurimi admirantur) nominato, ex mandato* vestræ Sanctitatis *penitus damnantur,*

tur, & prohibentur, atque illorum Authorem, *nisi quam primum sese purgaverit, censuris, ac aliis pœnis Ecclesiasticis esse omnino coercendum, denunciatur.*

2. *Sed qualem purgationem* Sanctitas vestra *à me illorum* Authore *expectet, & à quo crimine purgare me debeam, cùm neque in illo* Decreto *aliquod crimen aut speciatim, aut generatim, quod expurgandum est, mihi objiciatur, neque ego alicuius prorsus criminis in illis libris aut conscribendis, aut emulgandis commissi mihi conscius sim, ego sane perspicere non possum: Scio quosdam Doctores verba mea sinistrè interpretantes quædam crimina mihi falsò, & per summam iniuriam, ne quid gravius dicam, (parcat illis Deus) publicis suis scriptis imposuisse, quorũ instigationibus nescio, an* Sanctitas vestra *ad libros illos condemnandos inducta fuerit. Sed cùm & in causa hac mihi adversarij sint, & affectione potiùs, quàm solida ratione, ut mea fert opinio, moveantur, atque etiam verba mea iurpiter depravent, & in pessimum sensum, neque à me intentum detorqueant (ut vestræ*

Bea-

Beatitudini, *si tempus opportunum iam esset, clarissimè demonstrare possem,*) *non tantam illorum dictis, scriptisue authoritatem, quantacunque alioqui doctrina, aut dignitate præfulgeant, tribuendam esse censeo, vt me, aut ad illorum opiniones tam infirmis præsertim fundamentis nixas amplectendas, aut ad meam innocentiam in re tam graui, qualis est hæresis, à falsis eorum criminationibus non vindicandam, obligare queant.*

3. *Atque vt* Sanctitas vestra *perspicuè intelligat, me antea in illis libris, qui ex mandato* vestræ Beatitudinis *prohibentur, quantum* Ecclesiæ Catholicæ *filio satis est, ab omni* hæresis *crimine memet purgasse, qualem fidei Catholicæ professionem, quæ ad me ab omni* hæresis, erroris, alteriusue criminis, *quod ex his pendet, nexa purgandum, abundè, meo quidem iudicio, sufficit, ego in illis libris fecerim, & pro qua re* vestræ Sanctitati *in illa* de iuramento fidelitatis disputatione *supplicauerim, ea, qua par est, brevitate iterum repetere necessarium esse reor; vt ita* Sanctitas vestra *clarè perspiciat,*

quæ-

quosdam non infimi nominis viros, tametsi me apud imperitum fortasse hominum vulgus graui ignominia aspergant, non leuis tamen infamiæ notam vestræ *etiam* Beatitudini, *tum apud prudentes Catholicos, tum maximè apud Catholicæ fidei aduersarios inurere, dum diuulgare satis inconsideratè, meo quidem iudicio, non verentur,* vestram Sanctitatem *seriò affirmasse, se* neque authorem illius disputationis, aut Catholicum esse, aut Ecclesiæ filium existimare (*cùm tamen Author ille & Catholicum, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ filium se esse profiteatur, illamq; disputationem, & cætera eius scripta sacrosancta* Ecclesiæ Catholicæ Romanæ *iudicio humillimè subijciat*) neque dedicationem illius libri acceptare voluisse, *cùm tamen dedicatio illa, vt ex Epistola Autheris ad* vestram Sanctitatem *constat, humillima tantum esset Autheris, & aliorum Catholicorum ad* vestram Beatitudinem *supplicatio, vt in fide Catholica, atque in ijs rebus, quas* Sanctitas vestra fidei, & saluti apertè aduersari *in suis Brenibus affirmauit, à* vestra Beatitudine,

dine, *vtpote supremo Ecclesiæ Catholicæ Pastore, & cui oues Dominicas in fide Catholica instituendi, atque confirmandi cura ex officio incumbat, instruerentur: Talia enim verba* vestram Sanctitatem *& de Authore, & de ipsa etiam dedicatione dixisse*, Illustriss. Nuncium Apostolicum, *qui tunc* Bruxellis *manebat, ad* Dominum Gregorium Bircketrum Archipresbyterum, *tunc superstitem, scripsisse quidam ferunt, eundemque* Nuncium Apostolicum, *simul affirmasse*, se de ijs ante paucos dies (*siquidem ipsissima literarum*[a] *quæ circumferuntur verba*) per S. Romanæ vniuersalis Inquisitionis Congregationis litteras de mandato *vestræ Sanctitatis* edoctum esse, vt de ijsdem ad dominationem suam (in primis scriberet, quo eadem istic Catholicis significaret, ac pro sua prudentia innotescere curaret.

[a] *Date sunt hæ litteræ Bruxellis 26. Nou. 1613.*

2. *Imprimis* igitur ego illorum librorum Author, me Dei, religionis, & patriæ zelo accensum, alijsque rationibus magis particularibus, quas in principio illorum librorum recensui, instigatum, absque vllo aut fauoris,

uoris, aut timoris mundani intuitu, neque animo pertinaci, sed gratia tantùm veritatis Catholicæ in hac controuersia grauissimæ, quæ ad debitam obedientiam *Deo* & *Cæsari*, vestræ *Beatitudini* supremo animarum nostrarum in terris Pastori, & *Regi* nostro *Serenissimo*, qui solo Deo in temporalibus minor est, ex lege Christi exhibendam spectat, inuestigandæ, libros illos composuisse protestatus sum, & omnia quæ in illis continentur, iudicio, & censuræ sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, cuius filium me esse professus sum, humillimè subieci, [b] & si quid forte in illis ex ignorantia elapsum esset, quod illi non probaretur, improbaui, damnaui, & pro non scripto habendum esse volui.

5. Deinde, [d] vniuersos Ecclesiæ Catholicæ Canones me omni, quo par est, honore ac reuerentia venerari professus sum, tametsi inter *Catholicam Ecclesiam*, & *summum Pontificem*, qui primum tantùm, & potissimum illius membrum est, inter quædam Iuris Canonici capita, aut de-

[b] In Apologia ad Lectorem in fine.

[c] In Disputat. in fine.

[d] In Disputat. cap. 6. sect. 3. nu. 18.

decreta, & inter alia magnum discrimen constituendum esse ingenuè affirmauerim, & nihilominus singulis, suo ordine, & gradu, debitum, sed non æqualem me honorem deferre syncerè asseueraui. Etenim in vasto iuris Canonici corpore, atque in tomis Conciliorum, vel dicta & decreta antiquorum Patrum, vel sententiæ, & decreta Concilidrum, atque summorum Pontificum continentur, & hæc vel ad doctrinam spectant, quæque à fidelibus credenda proponuntur, vel ad mores pertinent, quæque in externa Ecclesiæ disciplina à Christianis obseruanda præcipiuntur.

6. Et *primò* doctrinam illam, quam antiqui Patres, vel in sacris Scripturis exponendis, vel in quæstionibus, quæ ad fidem pertinent, dirimendis vnanimi consensu tradiderunt, ego quoque indubitata fide, vtpote diuinitus inspiratam esse credens, tenendam esse professus sum.

7. *Secundò* omnium etiam Sanctorum Patrum doctrinam in rebus, quæ ad fidem non pertinent, piè quidem,

dem,& probabiliter à Catholicis credi posse,sed non necessariò vt certam, & infallibilem sequendam esse cum *Melchiore Cano*, alijsque Theologis asseueraui.

8. *Tertiò*, definitiones Conciliorum generalium, quæ legitimè vocata sunt,& à summo Pontifice confirmata, in quibus doctrina aliqua vt de fide ab omnibus Catholicis credenda toti Ecclesiæ proponitur, ego etiam vt infallibiles fidei regulas à Catholicis accipiendas esse protestatus sum. Illas tamen opiniones,quæ in ijsdem Concilijs vt probabiles tantùm definiuntur, aut etiam supponuntur, illaque pronunciata, quæ vel obiter inseruntur, vel ad decisiones suas melius instruendas, aut confutandas adducuntur, nonnunquam errori obnoxia esse, atque à Catholicis absque vllo Catholicæ fidei detrimento reijci posse, cum eodem *Melchiore Cano*, & *Bellarmino* ingenuè affirmaui. Illud pariter obseruans, de quo alibi etiam Lectorem sæpius admonui; quòd tametsi ego, cùm Ecclesiæ Catholicæ Romanæ fi-

lium me esse profitear, illud omne, quod Concilia generalia à summo Pontifice approbata, quæ Ecclesiam Catholicam repræsentant, de fide necessariò credendum fidelibus proponunt, & quem verum Conciliorum sensum esse certò, & euidenter constat, libentissimè amplectar, nihilominus non omni illi doctrinæ, quam vel *Card. Bellarminus*, pace eius dixerim, vel alius quicunque Doctor (cùm certa Catholicæ fidei regula à Christo constituti non sint) Catholicam esse, vocem Ecclesię esse, Scripturarum, aut Conciliorum sensum esse vociferantur, si præsertim aliqui Doctores Catholici contrarium sentiant, indubitata fide assentior. Illos equidem, vt par est, debita veneratione suspicio, ipsorumque authoritati plurimùm tribuo, sed quòd omnes illæ collectiones, quas ipsi ex Scripturis sanctis, ac sacris Concilijs euidenti ratiocinatione deduci opinantur (cùm sæpe fallantur, & fallant, & quæ iuniores scripsere, seniores [e] reuocare possint) pro indùbitatis fidei dogmatibus habendæ sint, &

[e] Nam & ipse met *Card. Bellarminus*, plura reuocauit senex, quæ iuuenis scripsit, & forsan plura iam senior reuocabit.

& contraria Catholicorum opinio non tam *ſententia*, quàm *hæreſis* æſtimanda, iſtud profectò æquo animo ferre non poſſum.

9. *Quartò*, quod ad Conciliorum generalium Canones, ſeu decreta, quæ ad mores, & externum Eccleſiæ regimen ſpectant, attinet, paratiſſimum me eſſe ſpopondi, ea omnia decreta vltro recipere, quæ in locis vbi vixero, generaliter recepta erunt, hæc etenim propriè Catholicæ, ſeu vniuerſalis Eccleſiæ decreta, ſeu Canones appellantur, quæ ab vniuerſa Eccleſia communiter recipiuntur, nec quenquam proculdubio ad eas leges, & præcepta amplectenda, quæ in loco vbi habitat, à populo non obſeruantur, iuxta receptam Theologorum, ac Iuriſperitorum ſententiam, obligatum eſſe affirmaui. Atque idem de decretis ſummorum Pontificum, & Conciliorum Prouincialium, quæ ad mores ſpectant, cum proportione intelligendum eſſe ibidem aſſerui. Nam de ſummorum Pontificum decretis ad ad fidem pertinentibus, quæ abſque

Concilio generali sancita sunt, fateor me sæpius dixisse, quamplurimos, præsertim antiquos Scholæ Parisiensis eximiæ pietatis, & doctrinæ Theologos, à me ibidem [f] relatos, in ea esse sententia, quòd talia decreta, nisi ab Ecclesia Catholica, vt fidei Catholicæ decreta, recepta fuerint, errori obnoxia sint, quorum opinionem tum propter authoritatem tam illustrium virorum, tum ob rationes, & fundamenta, quibus illa opinio nititur, neque *hæreseos*, neque *erroris*, nec etiam *temeritatis* condemnandum esse, ego cum pluribus recentioribus Theologis, in quorum etiam sententiam ipsemet *Cardinal. Bellarminus*, quantumcunque contrarium asserere videri velit, [g] satis perspicuè propendet, [h] sæpiùs etiam affirmaui; quod nunc denuo, cum omni debita submissione loquens, confirmare non reformido.

f Cap. 10. sect. 2. nu. 27.

g Lib. 4. de Ro. Pont. cap. 2. & lib. 2. de Concil. cap. 17.

h Libr. 2. de concil. c. 2. 13.

10. *Quod* denique *attinet ad disputationem meam de iuramento, illiusq; dedicationem, quæ lapis ille offensionis, & petra scandali quibusdam præsertim societatis Iesu Theologis, & qui illis adhærent*

hærent Catholicis, esse videtur, quid contra eam meritò objci possit, vel quam culpam, à qua purgare me debeam, in ea conscribenda, vestræq; Sanctitati *dedicanda commiserim, ego, vt veritatem ingenuè dicam, intelligere nullatenus possum. Inprimis etenim ego illius Disputationis, & Dedicationis Author*, Disputationem illam non animo pertinaci, sed per modum supplicis libelli, ad *vestram Beatitudinem* haud rectè, vt nos hîc credimus, de rationibus, ob quas Catholici Angli Iuramentum illud licitè præstari posse opinantur, informatam, meliùs informandam, syncerè ob plurimas, quas ibidem recensui, rationes me composuisse, illamque ea de causa *vestræ Sanctitati* consecrasse professus sum, vt postquam *Sanctitas vestra* rationes omnes, ob quas Catholici Angli Iuramentum illud licitè præstari posse opinantur, sedulò perpendisset, eorum saluti tam temporali, quàm spirituali, prout summæ *vestræ Beatitudinis* prudentiæ, atque charitati paternæ magis expedire videretur, prospicere posset. Et propterea ego, vt

in fine illius Disputationis asserui, potissima omnia argumenta, quæ tam contra iuramenti susceptionem, quàm pro eo suscipiendo adduci solent, fideliter enarraui, nihilque ex propria sententia, sed vt personas eorum induens, qui iuramentum licitè præstari posse, vel non posse palam, & ex professo docent, affirmare decreui, *Vestræ Sanctitatis* paternæ solicitudini relinquens, vt postquam ipsa de rationibus, ob quas Catholici Angli Regio decreto obtemperantes iuramentum istud præstitêre, plenè informata esset, easque diligenter examinasset, illas particulatim approbaret, vel condemnaret; vt Catholici in hoc negotio grauissimo, quod Pontificiæ authoritatis, & Regiæ dignitatis prærogatiuam tam intimè attingit, tum *Sanctitatis vestræ* præceptis obsistere formidantes, tum *Regio mandato*, quantum tutâ conscientiâ possunt, parere cupientes, clarè perspicerent, quas Iuramenti clausulas admittere, quasque reijcere teneantur, atque à *vestra Sanctitate* perspicuè edocerentur, quomodo tum

tum proprijs conſcientijs, tum *veſtræ Beatitudini*, tum *Regiæ Maieſtati* circa ſingulas Iuramenti partes ſatisfacere queant. Sicut enim pro fide Catholica, quæ verè fides Catholica eſſe ab Eccleſia, cui munus hoc res definiendi incumbit, & non priuatis Doctoribus, qui & fallere poſſunt, & falli, declaratur, bona omnia temporalia, vitamque ipſam amittere paratiſſimi exiſtunt, ita pro opinionibus, tametſi à maiori, & meliori parte Theologorum, immo & à tota fermè Eccleſia, non quidem *credente*, ſed tantùm *opinante* (nam inter Eccleſiam firmiter credentem, & probabiliter tantùm opinantem magnum diſcrimen conſtituendum eſſe optimè ſciunt) propugnatis, dummodo aliqui, quantumuis pauciſſimi, non abſque probabilitate reclament, ſe, totamque ſuam familiam, ac poſteritatem, quam ætas noſtra tanta auiditate exaltare ſtudet, in apertum, extremumque fortunarum omnium diſcrimen conijcere illubenter profectò vellent. Sed quemadmodum *veſtræ Sanctitati* in rebus

ſpiritualibus, & in ijs, quæ abſque peccato prætermitti nequeunt, obedire toto corde deſiderant, ita ſi à temporali obedientia, quæ *Regi* noſtro *Sereniſſimo* ex lege Chriſti debetur, præſtanda, abſque ſufficienti ratione, his præſertim temporibus arcerentur, in quibus pro religione Catholica Romana grauem iamdudum Principis ſui contrariam profitentis indignationem in ſe concitarunt, ſe paulo duriùs tractari, quàm filij à Parentibus ſolent, non immerito exiſtimarent, illud Chriſti Domini præceptum, præ oculis ſemper habentes: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.*

11. *Atque vt Sanctitas veſtra clariùs adhuc perſpiciat, hanc meam de Iuramento fidelitatis diſputationem (quæ potiùs humillima, ad* veſtram Beatitudinem *Supplicatio dici debet) per modum ſupplicis libelli à me conſcriptam eſſe, poſtrema hæc meæ ad* veſtram Sanctitatem *Epiſtolæ à verbo repetere non abs re eſſe cenſeo.*

12. Hæc igitur (*Sanctiſſime Pater*) humillima noſtra ad *veſtram*

Bea-

Beatitudinem ſupplicatio eſt. Primò, vt *Sanctitas veſtra* rationes, ob quas Catholici Angli Iuramentum, iſtud licitè præſtari poſſe opinantur, & de quibus *Sanctitatem veſtram*, haud rectè informatam eſſe exiſtimant, diligenter perpendere non dedignetur. Secundò, vt poſtquam eas debitè examinauerit, illos pro Paſtorali veſtra ſolicitudine edocere non grauetur, quæ Iuramenti partes, non dico ex probabili tantùm aliquorum Doctorum opinione, ſed iuxta doctrinam Catholicã ab omnibus fidelibus neceſſariò credẽdã, fidei & ſaluti aduerſentur, & proinde à nullo Catholico tuta, aut probabili conſcientia ſuſcipi poſſint. Tertiò, vt *Sanctitas veſtra*, ſi de rationibus, ob quas Catholici Angli Iuramentum licitè præſtari poſſe exiſtimârunt, ſe haud rectè informatam fuiſſe perſpexerit, atque adeo eos in re tam graui non temerè, ac præcipitanter proceſſiſſe deprehenderit, eos, eorumque Sacerdotes in priſtinam veſtram gratiam recipere dignetur, atque vt ſi ipſi, aut eorum aliqui vllam ſuæ famæ iacturam, aliud-

ue

ue detrimentum ex hoc Iuramento aut præstando, aut propugnando non suâ culpâ, sed indiscreto aliorum zelo acceperint, illud denuo omni meliori modo, quo charitati, iustitiæ, atque prudentiæ vestræ magis consentaneum videbitur, recuperare possint. Atque interim Deum Opt. Max. continuis precibus supplicare non desistent, vt *vestram Beatitudinem* ad Ecclesiæ bonum, animæ vestræ salutem, atque iniustè oppressorum solamen diutissimè feruet incolumem.

13. *Iam quid in hac humili nostra supplicatione contineatur, quod* vestræ Sanctitati *tantoperè displicere meritò potest, vt eam acceptam habere noluerit, tum aquis rerum æstimatoribus, tum* vestræ *potissimùm* Beatitudini *iudicandum relinquo. Ex iis* enim, *quæ iam diximus, apertissimè constat, hanc de Iuramento Disputationem ob eum finem à me institutam esse, vt* vestram Sanctitatem, *supremum Ecclesiæ Catholicæ Pastorem, cui cura oues Dominicas non præceptis tantùm, & censuris, sed & verbo doctrinæ pascendi, atque in fide*

Ca-

Catholica instituendi à Christo Domino commissa est, de statu nostro certiorem redderem, & vt vestræ Beatitudini *ea dubia, & difficultates, quæ mihi, & alijs Catholicis occurrunt circa Iuramentum illud, quod à* Regia Maiestate *præcipitur,* à vestra Sanctitate *prohibetur, & ab omnibus fermè melioris notæ apud nos Catholicis, quibus ministratur, illis etiam qui* Patres Iesuitas, *quantumcunque externa facie Patres isti illud condemnare videantur, directores habent, indies suscipitur, syncerè, & cum omni debita submissione proponerem, vt postquam* Sanctitas vestra *rationes, & argumenta hinc, illinc q; pro, & contra Iuramentum fieri solita ritè perpenderit, conscientijs nostris satisfacere, & quænam Iuramenti partes iuxta fidei Catholicæ principia præstari, & quæ non præstari debeant, nobis patefacere, & demum, quænam sint illa multa (nam omnia in Iuramento contenta fidei, aut saluti repugnare nemo quantumuis Iuramento infensissimus affirmare audet) quæ* Sanctitas vestra, *malè à quibusdam, vt credimus, informata,* fidei, & saluti apertè aduersari *in suis Brevibus* affir-

affirmauit, nobis declarare dignaretur.

14. *Iudicet iam, obsecro,* Sanctitas *vestra, primò, an ego illorum librorum Author, qui me Catholicum, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ filium esse professus sum, eiusq; iudicio, ac censuræ omnia mea scripta cum ea submissione subiecì, vt quicquid ab ea non probaretur, improbarem, dãnarem, & pro non scripto habendum esse vellẽ, à supremo Ecclesiæ Catholicæ Pastore, ac Patre, pro non Catholico, neque Ecclesiæ filio existimari debeam. Si Catholicus non sum, certè hæreticum me esse, & doctrinam fidei Catholicæ contrariam pertinaciter (cùm hæresis absque pertinacia esse nequeat) defendere necesse est: at ego (vt doctrinam, quam in illis libris tradidi, nunc taceam, quam si hæreticam esse certò constet, cur* sacra *illa* congregatio *illos vt hæreticos non condemnauit?) nihil planè pertinaciter, sed animo humili, submisso, atque ad errorem meum, simul ac me in aliquo errasse deprehendero, corrigendum parato, me scripsisse protestatus sum. Errare quidem me posse profiteor, sed hæreticus (Deo auxiliante) esse nolo. Et si in aliquo forsan errauerim, non malitia,*

tiæ, nec pertinatiæ, ſed infirmitatis, & ignorantiæ error eſt. Neque enim ſciens, & volens aliquid prorſus quod ſanæ doctrinæ, aut fidei Catholicæ aduerſari mihi conſtat, vllo vnquam tempore, Deo me iuuante, defendam.

15. Secundò, *de eo quod quidam, in non leue Religionis Catholicæ ſcandalum, & in graue* Sedis Apoſtolicæ, *præſertim apud Religionis Catholicæ Aduerſarios, opprobrium ferunt,* veſtram Sanctitatem *affirmaſſe, ſe meæ de Iuramento diſputationis dedicationem, ſeu humillimam, & aliorum Catholicorum, vt iam oſtendi, Supplicationem acceptare noluiſſe, hoc ſolum in præſenti dicam, nos Anglos Catholicos eſſe proculdubio miſerrimos, qui dum pro fide Catholica Romana, quam profitemur, tam plura huius vitæ incommoda quotidie ſuſtinemus, &* Principis *noſtri alioquin clementiſſimi, contrariam profitentis, indignationem, quod grauiſſimum eſſe iudicamus, in nos concitauimus, & acerbum toti huic Regno ſpectaculum iamdiu, & indies facti ſumus, iam cùm à* veſtra Beatitudine *in ijs rebus, quas* Sanctitas veſtra, *fidei Catholicæ aper-*

tè

tè aduersari *suis Breuibus Apostolicis, in maximum nostrum temporale praiudicium, declarauit, erudiri suppliciter exoremus, non solum exaudiri non mereamur, verùm etiam* Sanctitas vestra *& petitionem nostram damnat, ac prohibet, atque Authori illius, nisi se quamprimum purgauerit, censuras, & alias pœnas Ecclesiasticas, modo quodam insolito, nullum crimen, à quo se purgare debeat, obijciens comminatur.*

16. *Ecce enim* (Beatissime Pater) *quàm misera, & deploranda sit conditio nostra.* Rex *noster Serenissimus, cui temporalem obedientiam ex lege Christi debemus, Iuramentum, quod ipse temporale tantùm, & fidelitatis esse contendit, à nobis Catholicis suis subditis sub pœnis grauissimis exigit*; Sanctitas vestra, *cui in spiritualibus parere eiusdem Christi lege obligamur, illud, vt multa in se complectens, quæ fidei, & saluti apertè aduersantur, suis Breuibus omnimo damnauit, & Sacerdotes quoscunque, qui illud aut præstant, aut licitè præstari posse docebunt, & docent, facultatibus suis priuandos fore denuncianit: Nos Angli Catholici in his angustijs po-*

siti

siti, & timentes ne dum Charibdim vitemus in Scillam incidamus, id est, ne aut Deo, aut Cæsari quod suum est non reddamus, à vestra Sanctitate *supremo nostro in spiritualibus Pastore, cuius proprium munus est, vt oues Dominicas in fide Christi instruat, atque confirmet, instantissimè petimus, vt quænam sint illa multa, vel vnum saltem è multis, quod in hoc iuramento fidei, aut saluti ita repugnans sit, nos edocere non dedignetur, vt ita tum conscientijs nostris, tum* vestræ Sanctitatis, *tum* Regiæ *etiam* Maiestatis *mandato, quantum in nobis est, & religio Catholica permittit, satisfacere possimus; & nihilominus* Sanctitas vestra *petitionem nostram, in qua rationes & argumenta, quæ tum pro, tum contra Iuramentum obijci solent, à* vestra Sanctitate *expendenda, cum omni submissione debita, nihilq; ex propria sententia affirmantes proponimus, non solum non admittit, sed illam omnino, nullo prorsus crimine vel speciatim, vel etiam generatim contra illam obiecto, ex mala aliorum, vt credimus, informatione damnat, & Authorem illius, seu supplicem vestrum Oratorem, nisi se quam-*

primum

primùm purgauerit (& nihilominus nullius planè criminis, à quo se purgare debeat, mentionem facit) pœnis grauissimis coercendum esse denunciat.

17. *An forsan crimen est, vt qui ignorant, errant, aut dubitant, ad supremum Ecclesiæ Pastorem, & Doctorem, vt ab illo in fide instituantur confugiant, & dubia, ac difficultates, quæ suas, & aliorum quamplurium conscientias anxias reddunt, ab eo diluenda, ac dissoluenda cum debita submissione proponant, idque non in rebus leuiusculis, sed quæ ad debitam Deo, aut Cæsari obedientiam sub pœnis grauissimis exhibendam spectat? An crimen est paruulos esurientes panem à Patre, oues famelicas pabulum à Pastore, & discipulos ignorantes institutionem à Doctore, & Magistro humiliter postulare? Nos Angli Catholici* vestram Beatitudinem *nostrum in spiritualibus Patrem, Pastorem, atque Magistrum esse profitemur, & vt à vobis in fide Catholica instruamur, humiliter petimus, & quænam sint* illa multa, *quæ* Sanctitas vestra *in hoc Iuramento* fidei apertè aduersari *suis Breuibus declarauit, à* vestra Beatitudine

dine *edoceri ſuppliciter exoramus*, & Sanctitas veſtra *petitionem noſtram*, *quæq; in illa continentur*, *damnat*, *ac prohibet*, & *me illius Authorem*, *qui cæterorum nomine eam ſcripſi*, *atque compoſui*, *niſi me quamprimùm purgauero*, *grauiſſimè puniendum eſſe modo prorſus inuſitato decernit*. *Etenim apud nullum*, *vti opinor*, *in terris tribunal mos iſte reperitur*, *vt quis ex ſententia Iudicis ſe purgare ſub pœnis grauiſſimis compellatur*, *niſi Iudex crimen illud*, *ob quod*, *niſi ſe purgauerit*, *condemnandus eſt*, *illi*, *qui in ius vocatur*, *notum faciat*; *præterquam quod impoſſibile eſt*, *vt quis ab eo crimine*, *quod ignorat*, *ſe purgare poſſit*.

18. *Atque vt veritatem liberè dicam* (*nunc enim paulo liberior loquendi*, *dummodo verè*, *ac modeſtè loquar*, *licentia mihi iam apud ſupremum in terris tribunal*, *vt me purgem in ius vocato*, *ipſo iure permittitur*) *nouum hoc libros Catholicorum condemnandi*, *atque Authori*, *vt ſe purget*, *præcipiendi genus*, *tam ſolenni decreto*, & *ſub pœnis in Concilio Tridentino*, *atque in Indice contentis factum*, *nullo tamen crimine vel*

ſpeciatim, vel generatim, ob quod condemnantur, vel à quo Author ſe purgare debeat, nominato (cùm non eadem pœna quoſcunque libros prohibitos indiſcriminatim legenti in Indice conſtituatur, neque omnia crimina eandem purgationem poſtulent) tum Sedem Apoſtolicam Religionis Catholicæ Aduerſarijs exoſam reddit, qui facilem hinc ſibi perſuadendi anſam arripient, Romanos Pontifices *eas opiniones, quæ ſibi non arridentpro libito reijcere, & non argumentis, ſed minis ſupprimere, & quæ ſibi placent, fauoribus, non rationibus promouere ſolitos eſſe; tum prudentibus Catholicis parum ſatisfacit, qui vix ſibi perſuadere poſſunt, Sacram illam* Illuſtriſſimorum Cardinalium *ad Indicem deputatorum* Congregationem, *quorum informationibus* Sanctitas veſtra, *vt certiſſimè credimus, fidem adhibens libros illos damnandos, & Authorem, ni ſeſe quamprimùm purgauerit, caſtigandum eſſe decreuit, ſi in illis propoſitionem aliquam, quam aut hæreticam, aut erroneam, aut ſanæ doctrinæ diſſentaneam eſſe certò conſtat, reperire potuiſſent, illam tam alto ſilentio*

præ-

praterire, atque Authori verbis tantùm generalibus vt se purget, nullo tamen crimine siue in particulari, siue in generali, à quo se purgare debeat, indicato (præter vsitatum Sedis Apostolicæ *in libris Catholicorum, & quibus præsertim se purgandi præceptum imponitur, condemnandis morem, vt innumeris exemplis, quæ in tomis Conciliorum, atque Summorum Pontificum Bullis reperiuntur, demonstrare possem) præcipere voluisse.*

19. *Quapropter ego, illorum librorum Author, cui* sacra Congregatio *ex mandato* vestræ Sanctitatis *me, (sed nescio à quo crimine) purgandi præceptum imposuit, obsequentissimus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, &* vestræ Beatitudinis *in spiritualibus filius, & simul fidelissimus Regni Angliæ, Regisq; nostri* Serenissimi IACOBI *in temporalibus subditus, ante supremum* vestræ Beatitudinis *tribunal, vt me purgem, vocatus, ad pedes* vestræ Sanctitatis *prouolutus,* vestram Beatitudinum *pertremendam Dei supremi omnium Iudicis Maiestatem suppliciter exoro,* inprimis, *vt quod iustum est indicetis, &*

rectum iudicium mihi faciatis, neque solis illorum, qui mihi in hac controuersia Aduersarij sunt, & verba mea contra sensum à me intentum turpiter deprauârunt, informationibus fidem adhibeatis, sed causam meam ex certa vestra scientia expendatis, & me de illis omnibus, aut saltem aliquibus, quæ in libris meis ex vestro mandato *condemnatis, aut fidei, aut bonis moribus repugnantia esse perspicuè constat, certionem reddatis: nam quæ in illis corrigenda sunt corrigere, quæ purganda sunt purgare, quæ explicanda sunt explicare, & quæ retractanda sunt retractare paratissimum me esse profiteor.*

20. Secundò, *vt* Sanctitas vestra, *si de me, meisq; scriptis, post debitam eorum examinationem, se malè à quibusdam informatam esse, neque aliquid, quod à doctrina Catholica dissentit, in illis reperiri, prout quidam forsan* vestræ Beatitudini *suggesserunt, deprehenderit, illam* sacræ Congregationis *sententiam contra me, meosq; libros ex mala informatione, importuna quorundam solicitatione, malone verborum meorum intellectu latam reuocare, bonaq;*

neq; mei nominis existimationi, omni meliori modo, quo vestræ prudentiæ, charitati, atque iustitiæ consentaneum videbitur, consulere, meq; pro Catholico, atque Ecclesiæ Catholicæ filio habere velit. Quod enim alibi [k] *scripsi, iterum nunc repeto.* Catholicus sum, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ filius: & si aliquis cuiuscunque dignitatis fuerit, mihi notam hæreseos per iniuriam inurere voluerit, pro certo habeat, me, Deo protegente, ijs omnibus modis, quibus Deus, & natura innocenti se defendendi facultatem concedunt, donec Ecclesia de mea opinione plenè informata, eam clarè, & particulatim (neque enim aliquis errores reuocare poterit, nisi quinam sint speciatim cognoscat) condemnauerit, ab illius calumnijs me pro virili vindicaturum.

[k] In Disp. in Admonit. ad Lectorem nu. 8.

21. Tertiò, *vt* Sanctitas vestra *hanc meam purgationem, atque humillimam supplicationem inter acta sacri* Inquisitionis *Officij ad futuram rei memoriam reponendam esse iubeat, vt ita posteritas de hac mea purgatione, quàm de illa librorum meorum condemnatione*

ſententiam ſuam ferre, & vtrum Catholicus, & Eccleſiæ filius, an hæreticus habendus ſim, iudicare poſſint.

22. *Quodſi* Sanctitas veſtra *hanc meam purgationem, humillimamq; petitionem admittere, & ſententiam contra meos libros, ex mala informatione latam reuocare, meæq; exiſtimationi per iniuriam læſæ proſpicere noluerit, quantumuis optimè ſciam, poſſe* Deum Opt. Max. *qui quondam* Roberti Groſſeteſte Lincolnienſis Epiſcopi *famæ conſuluit*, cui Innocentius Papa quartus mirum in modum iratus [1] oſſa eius, iam demortui, extra Eccleſiam proijcere, & ipſum in tantam infamiam præcipitare *decreuerat*, vt Ethnicus, rebellis, & inobediens per totum mundum acclamaretur, *propterea quod ad ipſum* Innocentium in ſpiritu humilitatis, & dilectionis ſcripſerat, vt crebros eius errores corrigeret, *poſſe, inquam, eundem Deum, qui perſonarum acceptor non eſt, me etiam corde humili, animoq; ſubmiſſo ad* veſtram Beatitudinem *conſcribentem, eamq; ſuppliciter deprecantem, vt nos Anglos Catholicos in fide Catholica inſtruere,*

[1] *Matthæus Paris* in *Henrico* 3. ad annum 1253. §. Diebus eiſdem, & 1254. non longe à principio.

ſtruere, eaque multa, *quæ* Sanctitas veſtra fidei, & ſaluti apertè contraria *eſſe in ſuis Breuibus affirmauit, nobis declarare velit, à prauis quorumcunque machinationibus, falſiſq; informationibus liberare, meamq; innocentiam* veſtræ Beatitudini, *totique mundo manifeſtam facere, nihilominus preces, lachrymæ, & patientia cum bonæ conſcientiæ teſtimonio coniuncta potiſſima mihi munimenta erunt, illudque aſſiduò mihi erit ſolatio, non minùs, quin potiùs magis beatum, Deoque gratum eſſe, perſecutionem à propinquis, ac domeſticis, quorum colligatio, & ſocietas arctior eſſe debet, quam ab externis propter iuſtitiam pati.*

23. Denique, *ſi in hac mea purgatione, quam* ſacra Congregatio *ex mandato* veſtræ Beatitudinis *mihi iniunxit, aut* Sanctitatem veſtram, *aut alium quemcunque aliquid minùs conſideratè quam par eſt, loquendo, vti non ſpero, offenderim (neque enim ſciens, & volens vllam iuſtæ offenſionis cauſam alicui præbere vellem) tum à* veſtra Sanctitate, *pro cuius temporali, & æterna fœlicitate diuinam clementiam*

continuis precibus implorare non desistam, tum ab vniuerso orbe Christiano veniam quam humillimè peto. E Musæolo in festo S. Ioannis Baptistæ. *Anno* Christi *Domini* 1614.

Vestræ Sanctitatis & Sanctæ Sedis Apostolicæ.

Filius & seruus quam humillimus,

Author librorum qui supra &c.

Obser-

Obſeruationes quædam Authoris in prædictam *Purgationem*, eiuſdemque *Admonitio* ad quoſdam Ordinis *S. Benedicti* Religioſos.

1. HÆc Purgatio *Widdringtoni*, cùm iam ſex abhinc annis ad *ſuam Sanctitatem* fuerit tranſmiſſa, & publicè etiam typis excuſa, & nihilominus neque *ſua Sanctitas*, neque *Cardinales* ad Indicem deputati, nec quiſquam alius ex mandato ipſorum, vel vnicam propoſitionem, quæ ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus repugnet, à *Widdringtono* editam illi hactenus notam fecerint: Et cùm inſuper idem *Widdringtonus* plures egregias calumnias, tam ad doctrinam, quàm ad mores pertinentes, ſibi à *Card. Bellarmino*, ſub *Adolphi Schulckenij* nomine, impoſitas eſſe manifeſtè monſtrauerit; & proinde eundem *Bellarminum* de fraude, dolo malo, & de aperta calumnia apud *ſuam Sanctitatem* libello ſupplici in iudicium adduxerit, neque adhuc dictus

ctus *Cardinalis*, vel alius quiſquam ſuo nomine, ſe ab illis criminationibus purgauerit, ſignum profectò euidens eſt, tam *ſuam Sanctitatem*, quàm dictos *Cardinales*, iam clarè perſpicere, ſe de doctrina *Widdringtoni* haud rectè & fideliter inſtructos fuiſſe, illudque *ſacræ Congregationis* Decretum ex mala quorundam, præſertim *Card. Bellarmini*, contra quem potiſſimùm libri illi conſcripti ſunt (& qui proinde in propria cauſa & *Actor*, & *Teſtis*, & *Iudex* eſſe voluit) informatione editum eſſe, neque ab illis vlla ratione ſolida iuſtificari omnino poſſe.

2. Quapropter non minori profectò dolore, quàm admiratione afficior, quòd quidam Religioſi, *Ordinis S. Benedicti*, tam parum æqui rerum ſuarum æſtimatores, omniſque prudentis conſilij adeo expertes, meo quidem iudicio, fuerint, vt, tametſi optimè nouerint, & ipſum *Widdringtonum*, tum in præcedenti *Purgatione* generatim, tum ſpeciatim in pluribus libris ab eo poſtea editis, & quibus eius *Aduerſarij* nullam adhuc Re-

Reſponſionem dederunt, ab omni *hæreſeos, erroris, temeritatis*, alteriuſue criminis nota ſatis ſe purgaſſe; *Ipſumq; Papam tolerare* [a] *in Francia*, atque ad Sacramenta Eccleſiaſtica admittendos permittere eos Catholicos, qui doctrinam *Widdringtoni* propugnant: *Nec debere hanc Diſputationem impedire reunionem* [b] *eorum, qui Eccleſiæ reconciliari deſiderant*; & proinde nec iuſtam eos, qui iam in Eccleſia ſunt, ex Eccleſia eijciendi, aut Eccleſiaſtica Sacramenta illis denegandi cauſam præbere poſſe: Atque inſuper doctrinam *Widdringtoni* per plura *Senatus* Pariſienſis *Arreſta*, ſeu Decreta, approbatam eſſe, & contrariam *Cardin. Bellarmini, Franciſci Suarez*, & aliorum ſimilium, vti *falſam, ſeditioſam*, & *quæ Principum Coronis & Capitibus periculum affert*, ſub pœna læſæ Maieſtatis condemnatam; auſi tamen fuerint quidam ex iſtis Religioſis nouitij *Legiſlatores*, abſque conſilio & conſenſu, vti opinor, fratrum ſuorum hîc in *Anglia* commorantium (cùm non paucos ex iſtis erga Doctri-

[a] Card. *Perronus* en *Harangue* au tiers eſtat pag. 98. Vide etiam ſupra pag. 76.

[b] Idem *Perronus* in vltima ſua *Replica* ca. 91. pag. 633.

doctrinam *Widdringtoni* bene affectos esse optimè nouerim, neque ipsorum quenquam, quomodocunque alioquin affectus sit, *Decreto*, quod Capitibus omnium eorum, qui hîc in Anglia degunt, adeò periculosum est, suffragaturum tam facilè crediderim) ausi, inquam, fuerint noui isti Definitores, in ipsa ciuitate *Parisiensi*, vbi doctrina *Widdringtoni* publicè approbata est, & contraria, vti seditiosa pluribus *Arrestis* condemnata, Decretum condere, vt nemo *Benedictinorum*, qui de doctrina *Widdringtoni* propugnanda notoriè suspectus est, in nouam suam *Congregationem*, quam *Anglicanam* appellant, admittatur; atque vt omnes, qui deinceps professionem in ea emissuri sunt, publico & solenni Iureiurando sese obstringant, ad doctrinam *Widdringtoni* perpetuò renunciandam, illique *Anathema* dicendum.

3. Sed *inprimis*, ob quam, obsecro, causam, *Legislatores* isti nec seipsos nec alios, qui iam professionem emiserunt, nouo hoc *Iureiurando* obstrin-

ſtringendos eſſe voluerunt, ſed illud ijs tantùm, qui deinceps in noua ſua *Congregatione* profeſſionem emiſſuri ſunt, imponendum, ſeu potiùs obtrudendum eſſe decreuerunt? Cur ſeipſos *inprimis*, qui cæteris exemplum præbere debuerant, neque *imponere iugum ſuper ceruices* aliorum, *quod ipſimet portare* nolunt, ab eo ſuſcipiendo excluſerunt? quaſi verò illius ſuſceptio, quam ſibi incommodam eſſe arbitrantur, cæteris, qui deinceps profeſſionem emiſſuri ſunt, neceſſaria, aut vtilis eſſe queat. Quapropter ſi iſti Religioſi occultam iſtius myſterij abſconditi veritatem ingenuè patefacerent, non dubito, quin eximia *Summi Pontificis* ſapientia anguem in herba latentem ſtatim conſpiceret, neque deinceps vllis informationibus, quas *Patres iſti* vel in ſui commendationem, ſed præſertim in aliorum infamiam & vituperationem, *ſuæ Sanctitati* ſuggerunt, fidem vllam, non auditis partibus, quibus, ſub fuco zeli, obloquuntur, facilè adhiberet.

4. *De-*

4. *Deinde*, qui materiam, finem, aliasque circumstantias noui istius, & ante hæc secula inauditi Religiosorum *Iuramenti* diligenter expendet, clarissimè perspiciet, illud nec *Deo* gratum, nec *Principibus Secularibus* acceptum, nec *Ecclesiæ Romanæ* commodum, neque *illis Benedictinis*, qui illud vel præstant, vel præstandum decreuerunt, vel *Decreto* de eo præstando consenserunt, quamdiu aut hîc in *Anglia*, aut in *Francia* degunt, tutum, vel denique *Catholicis Anglis*, qui hisce Religiosis fauent, securum vllatenus esse posse. Neque etiam existiment *Patres isti*, se istiusmodi astutijs, blandimentis, & verborum præstigijs perspicacissimos *Summi Pontificis* oculos ita excæcare posse vt videre nequeat, quo animo, fine, & intuitu *Iuramentum* hoc tam scandalosum, & apud *Principes Christianos* tam inuidiosum hoc intempestiuo tempore excogitauerint.

5. Cùm enim iam *suæ Sanctitati*, post tam accuratam huius controuersiæ agitationem, postque tot libros hinc

hinc illincque conſcriptos, ſatis perſpectum & exploratum ſit (quicquid antea vel priuato ſuo iudicio, vel aliorum informationibus ſenſerit) doctrinam *Widdringtoni* à doctiſſimis *Societatis Ieſu* Theologis, omnique in hoc bellandi genere arte & armatura munitis, vi argumentorum expugnari non poſſe, & proinde eos poſt tot certamina iam quaſi pugnæ pertæſos, & de victoria deſperantes, caſtra deſeruiſſe, atque inglorios receptui cecinisſe; Et nunc videat nouitios hos milites, magiſque glorioſos, quàm bellicoſos, doctrinam *Widdringtoni*, quam ipſemet *Papa* in *Francia* tolerat, & quam plures ex doctiſſimis ipſorum probabilem eſſe exiſtimant, non vi *argumentorum*, ſed *Iuramentorum* oppugnare velle, quid aliud quæſo, eximia *ſuæ Sanctitatis* ſapientia ſuſpicari poterit, quàm prædictos *Patres*, non tam puro & ſyncero amore veritatis, & præfatæ poteſtatis Pontificiæ, quam nunquam adhuc eorum quiſquam, quantumcunque doctiſſimus reputetur, ſcriptis

tis publicis propugnare ausus fuerit, ex animo defendendæ, ad *Iuramentum* hoc nouum, scandalosum, & supremæ *Principum Secularium* in temporalibus potestati tam apertè detrahens, excogitandum motos esse, quàm studio complacendi, *Pontificis*que gratiam aucupandi, & exorbitantia priuilegia in graue aliorum præiudicium ab eo impetrandi, nouamque suam, & nuper erectam *Congregationem Anglicanam*[c], sed nouis astuti consilij adinuentionibus, præter morē & instituta maiorum, malè fundatam, cum omnium aliarum *Benedictini* Ordinis *Congregationum* depressione vltra modum debitum exaltandi? vti præpostera eorum postulata anno præterito *Summo*

c Dixi *nouam* &c. Nam *antiqua Congregatio Anglicana* cum omnibus suis iuribus, & priuilegijs, vel iam tota extincta est, cùm omnes illius monachi iam defuncti sint; vel in ius *Congregationis Cassinensis* iamdudum transijt ex facto *D. Seberti Bucklæi*, qui, vltimus ex omnibus *antiquæ Congregationis Anglicanæ* monachis in viuis existentibus, professionem publicam, manu sua propria scriptam, & pluribus testibus præsentibus, quorum aliqui iam in viuis sunt, consignatam emisit in manibus *D. Anselmi* è *Manchestria* monachi *Cassinensis*. Idque tres ex primarijs nouæ istius *Congregationis Anglicanæ* monachis, qui nunc superstites sunt, nempe, *D. Robertus Sadler*, *D. Augustinus Mahew*, & alter *D. Augustinus*, qui & testis oculatus erat, præter plures alios, verissimum esse sciunt.

Pon-

Pontifici exhibita, sed ab eo non minùs religiosè, quàm sapienter reiecta, sufficiens testimonium (vt cætera nunc taceam) perhibere poterunt.

6. Nam tametsi *Patres* isti paulò antè *Decretum* condiderant, quòd nullus *Benedictinorum*, qui de doctrina *Widdringtoni* propugnanda notoriè suspectus esset, in *nouam* suam *Sodalitatem* admitteretur, statim tamen mutato consilio, & præ nimia, vti videtur, dominandi, alijsque, alioquin sibi non subditis, imperitandi libidine, sese intra proprios suæ potestatis cancellos continere non valentes, sed aliarum *Congregationum*, quas multis nominibus magis reuereri & extollere, quàm deprimere & conculcare deberent, Iurisdictionem inuadere cupientes, *Priuilegium* istud à *Summo Pontifice* extorquere vijs omnibus conati sunt, vt omnes indiscriminatim *Benedictini Angli*, cuiuscunque tandem *Congregationis* essent, quamdiu in *Anglia* manerent, *no-*

næ istius, & vix in lucem editæ *Congregationis Anglicanæ* Iurisdictioni, castigationi, mandatis, legibus, statutis, ac Superioribus in omnibus & per omnia volentes nolentes subijcerentur, atque vt ex *Anglia* euocari, facultatibus priuari, pœnisque Ecclesiasticis castigari queant, quotiescunque noui isti Superiores id expedire in Domino iudicauerint. Istudque *Priuilegium* se facillimè à *Summo Pontifice* impetraturos existimabant, sub hoc specioso, & *Pontifici* gratissimo (vt ipsi arbitrabantur) prætextu castigandi eos omnes *Benedictinos Anglos*, (si qui sint vel in posterum fuerint) qui doctrinæ *Widdringtoni* vllatenus fauerent.

7. Veruntamen in hoc decepti sunt *Patres* isti; neque istiusmodi technis, & fallacijs sapientissimum *Pontificem* decipere tam facile poterant; qui optimè nouit, hanc suam insolentem, & iniuriosam postulationem (præterquam quòd nimiam

miam adulandi, alijsque sibi non subditis dominandi libidinem sub fuco zeli sapere videatur, atque in grauem plurimorum innocentium, & de *Ecclesia Romana* benemerentium iniuriam, & opprobrium tendat, & proinde nouorum tumultuum, contentionum, & quæstionum in Ecclesia causam fore verisimile sit) parum aut plane nihil, tametsi *Papa* eam illis concederet, fini illi de *Widdringtoni* fautoribus castigandis, quem maximè *noui* isti *Correctores* prætendunt, conducere posse. Nam & quid opus est, vt tam exorbitans authoritas illis concedatur, ad *Widdringtoni* fautores, qui suæ Iurisdictioni non subsunt, castigandos; quandoquidem si castigari mererentur, ab ipsomet *Summo Pontifice* immediatè, & facilius, quàm abipsis, pœnis Ecclesiasticis plecti possunt? Et præterea, quantumuis *Summus Pontifex* tam extraordinariam castigandi authoritatem illis delegaret, quis tamen non videt, eos *Benedictinos* (si qui

sint) qui doctrinæ *Widdringtoni* fauent, cùm se omnino innocentes, neque pœna vlla, sed potiùs præmio dignos, eo nomine reputent, à quacunque delegata authoritate, & præsertim à rigidis istis fidelium subditorum *Castigatoribus*, tanquam à parum æquis Iudicibus, ad *Sedem Apostolicam*, ipsumque *Summum Pontificem*, qui *Widdringtoni* fautores in *Francia* tolerat, & ad Sacramenta Ecclesiastica admittendos permittit, statim appellaturos? adeo vt delegatam hanc castigandi *Widdringtoni* fautores authoritatem, quam *Patres* isti postulant, otiosam planè, ac inutilem, & maiorum in Ecclesia discordiarum causam fore, manifestè appareat.

8. Sed interim vtrùm *Principes Christiani* istiusmodi *Iuratores* (quos tamen *Senatus Parisiensis* potiùs *Coniuratores* appellaret) qui prætensam *Summi Pontificis* potestatem eos deponendi non *argumentis*, sed *Iuramentis*, neque *rationibus*, sed *factio-*

ctionibus, & *coniurationibus* ſtabilire contendunt, eoſque Catholicos, qui cum *Senatu Pariſienſi* talem authoritatem non approbant, caſtigandi, quodam quaſi æſtu efferueſcunt, tanquam factioſos, ſeditioſos, & temporalium ſuorum iurium hoſtes iuratos reputandi, & contra eos vt tales procedendi iuſtam cauſam habeant, necne, (ſi præſertim *Senatus Pariſienſis* Decreta expendantur) illis, ad quos ſpectat, iudicandum relinquo.

9. Vanum igitur ac ridiculum, & ex parte falſum & calumnioſum illud eſt, quod *Patres iſti* iactitant, ſe nimirum authoritatem *Eccleſiæ Romanæ*, *Sediſque Apoſtolicæ* præ cæteris propugnare, illamque cum vitæ periculo defendere paratos eſſe, ſeque *veros* Eccleſiæ *Romanæ* filios, cæteros verò, qui contra ipſos cum *Widdringtono* ſentiunt, tanquam *ſpurios*, & *adulterinos* reputandos eſſe. Nam & nos etiam omnem illam authoritatem, quam *Eccleſiæ Romanæ*, & *Sedi Apoſtolicæ* ex lege *Chriſti*

competere constat, non minori, quàm ipsimet, zelo prosequimur, mortemque potiùs subire, quàm vllam illius partem violare paratissimos nos quoque esse syncerè profitemur. Sed illam authoritatem, quæ apud Catholicos pios & eruditos in controuersia est, num *Ecclesiæ Romanæ, Sedique Apostolicæ*, an verò *Reipublicæ ciuili, Principibusque supremis*, ex lege *Dei* & *Naturæ* competat, cum vitæ periculo propugnare, & contrariæ parti *anathema dicere*, eosque Catholicos, qui cum istis Religiosis in re disputabili non sentiunt, ab Ecclesiastica communione secludere, atque non *veros* Ecclesiæ *Romanos* filios, sed *spurios* reputare, hoc sanè nec prudentiæ, nec charitati, nec iustitiæ consonum, neque etiam vocationi eorum, qui ad illas nationes in gremium *Ecclesiæ Romanæ* reducendas, quæ talem authoritatem, præsertim in praxi consideratam, tanquam *falsam*, *scandalosam*, & *seditiosam* cum *Senatoribus Parisien-*

sibus

sibus, alijsque quamplurimis Catholicis toto corde abhorrent, authoritate *Sedis Apostolicæ* mittuntur, vllo modo consentaneum esse iudicamus.

10. Atque hæc pauca de nouo hoc, & scandaloso *Religiosis Benedictinis* obtrudendo *Iuramento* dixisse in præsenti sufficiat. Nam materia, finis, veritas, & iustitia illius, aliaque plura ad rem pertinentia, alibi loco magis opportuno accuratiùs, si opus fuerit, Deo auxiliante, discutientur. Interim *Patres* istos admonitos esse velim, vt, dum tempus est, sibimetipsis consulant, illique tam portentoso *Iuramento*, vnde pax *Ecclesiæ* perturbatur, discordia inter *Regnum* & *Sacerdotium* concitatur, & reunio eorum, qui *Ecclesiæ Romanæ* reconciliari desiderarent, impeditur, confestim abrenuncient: neque propter opiniones in disputatione positas, & quas ipsemet *Papa* in *Francia* tolerat, hîc in *Anglia* schismata & discordias inter Catholicos, in maximum *Ec-*

cleſiæ Romanæ, *Sediſque Apoſtolicæ* ſcandalum, in ſummam *Principum ſupremorum* iniuriam, atque in non leue *ipſorummet*, omniumque qui ipſis fauent, periculum, tam parum conſideratè foueant: plurimùmque caueant, ne proprio ſe gladio iugulent, & ne nouum hoc ſuum *Iuramentum*, &, abſque vlla planè neceſſitate aut exemplo, ab ipſis hiſce præſertim temporibus excogitatum, vnde maiorem nouæ ſuæ *Congregationis* exaltationem expectabant, illi ruinam & exitium tandem afferat; ſi ob hoc tam inuidioſum, & ſeditioſum *Iuramentum*, non pura & ſyncera Religionis, & Diſciplinæ monaſticæ *Schola*, ſed noua, ſub fuco Religionis, ſeditionum, & intrati puluеris Coniurationum *Nutricula*, & *Seminarium*, ab ijs, ad quos ſpectat, reputetur: Et poſtremò caueant, ne ipſimet *Summo Pontifici* (poſtquam pro ſingulari ſua prudentia exiguum illud, aut nullum commodum, cum infinitis malis & ſcandalis

dalis, quæ ex hoc inconsiderato Iuramento *Ecclesiæ Romanæ* prouenire possunt, seriò contulerit; & quos tumultus, quantasque discordias non solùm inter ipsos Catholicos, sed inter ipsum etiam *Regnum*, & *Sacerdotium*, Iuramentum hoc nouum, odiosum, & absque vlla prorsus necessitate his temporibus excogitatum, concitaturum sit, accuratè expenderit, tanquam egregij adulatores, & pacis Ecclesiasticæ, nulla necessitate ad id cogente, perturbatores, exosi & contemptibiles tandem reddantur: Neque enim ignorare poterunt, in quanto periculo versantur, ne à *Principibus Christianis*, qui Decreta *Senatus Parisiensis* ad instar exemplaris præ oculis habent, tanquam factiosi, pacis publicæ perturbatores, & doctrinam, quæ *Principum* Coronis & Capitibus periculum affert, vijs indebitis propugnantes, proscribantur, atque ex eorum Dominijs sub pœna læsæ Maiestatis exterminentur, nisi *Decretum* illud sedi-

ſeditioſum, & *Principibus ſupremis* iniurioſum cito reuocandum, illiuſque reuocationem illico publicandam curent.

11. Sciat denique *Lector* beneuolus, me planè inuitum, & iniurioſis horum *Patrum* aſtutijs, & irreligioſis machinationibus quodammodo coactum, noui iſtius, & odioſi eorum *Iuramenti* mentionem hoc loco feciſſe. Illud enim ego, præ ſingulari amore, & veneratione, quo totum *Ordinem Benedictinum* complector, perpetua potiùs obliuione ſepeliendum, quàm à quoquam, & præſertim ab ipſiſmet publicandum exoptaſſem. Sed quoniam *Patres* iſti ſua ſponte, & cum non leui oſtentatione, ſatis imprudenter, meo quidem iudicio, illud diuulgare, & publicum facere non ſunt veriti, ſibimetipſis gratias referant, neque mihi vitio vertant, quòd ego, veritatis & innocentiæ, quam ipſi malis artibus, ſiniſtris informationibus, atque iniquis calumniationibus conculcare indies ſtudent,

dent, defendendæ cauſa, hoc ipſorum *Iuramentum*, de quo ipſi adeo gloriantur, paucis etiam perſtringere auſus fuerim.

Finis.

Hæc omnia *Eccleſiæ Catholicæ Romanæ* iudicio ſubiecta ſunto.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*ſic corrigenda.*
10	14	caſis	cauſis
15	21	contineantur	contineatur
16	3	notetur in	notetur, in
45	10	inferioris	inferiores
52	20	ſit	ſcit
76	1	omninoſum	ominoſum
80	4	cuidam	cum quodam
96	22	profeſſiones	poſſeſſiones
100	1	tuetur vel	tuetur, vel
112	13	ſuo	ſua
193	15	marcello	macello
133	23	Vicecomitis	Vicecomites
191	1	Apoſtolicos	Apoſtolos
238	9	Gregorium	Georgium
241	19	inſtruendas	illuſtrandas
248	25	à verbo	verba
253	14	&	meam, &